*DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA*

CONJECTURAS EXHIBENS

*DE*

# HOMINIBUS PROPRIIS ET LIBERIS GERMANORUM,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUAM

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI HEREDE ETC. ETC.

*IN REGIA HAC FRIDERICIANA*

EX DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ,

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,

S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL ET PROF. PUBL. ET P. T. DECANO,

*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

IN AUDITORIO MAJORI

*AD D. 1. OCTOBR. ANNO MDCCI.*

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTET

HIERONYMUS VON DER LAHR

MOENO-FRANCOFURTANUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*

LITERIS CHRISTOPH. SALFELDII VIDUÆ, RECUSA MDCCXXIIX.

Digitized by Google

# PARENTIBUS
# OPTIMIS,
# FRATRIBUS
## CHARISSIMIS,

HANCCE DISSERTAT. INAUGURALEM

*In perpetuæ erga* PARENTES *obſervantiæ, ac Fraterni amoris teſſeram*

D. D. D.

HIERONYMUS VON DER LAHR.

Digitized by Google

*B. C. D.*

# CONJECTURÆ
## DE
# HOMINIBUS PROPRIIS
## ET
# LIBERIS GERMANORUM.

§. I.

DUm de ſelecto themate diſſertationis inauguralis ſum ſollicitus forte fortuna in Typographia incido in tomum IV. Obſervationum ſelectiorum ad Rempublicam literariam pertinentium, qui jam ſub prelo eſt, ibique inter alias obſervationes deprehendo Illuſtris Hertii varia opuſcula Juridica Obſerv. XI. recenſita, quam dum perlego præprimis placuerunt, quæ Celeberrimus obſervationis Autor in fine ejusdem de ulteriori inquiſitione in diviſionem perſonarum ſecundum mores Germanorum monuit, adeoque rem non indignam propoſito meo eſſe arbitratus ſum, ut in hac materia vires ingenii exercerem. *Occaſio Diſſertationis.*

§. II. Cum tamen ex altera parte materiæ gravitatem ac difficultatem conſideravi, & quod laudatus obſervationis Autor *Cur conjecturas ſcribat Autor?*



Digitized by Google

ipſe ſe oneri huic imparem eſſe judicaverit, hæſi paulisper, ac imbecillitatem virium ingenii mearum perpendens, prope conſilium mutavi. Videbatur inſuper nimis arrogans eſſe, ſi de dubiis ibi poſitis, quorum ſolutionem ab Illuſtribus Germaniæ Duumviris Coccejo & Hertio petierat obſervationis Autor, ego non rogatus ſententiam meam dicere vellem. Accedebat, quod hæc doctrina & multam lectionem Hiſtoricorum Germanorum, qua deſtituor poſtularet, & non contemnendum excerpendi ac cogitandi tempus requireret, quod mihi tamen, iter quam proxime & abitum ex hac Univerſitate meditanti, non reſtabat. Sed ex adverſo putabam iterum, mediam hic iniri poſſe viam. Neque enim ſcribendum erat volumen, quod eruditionem oſtentaret. Scribendæ erant theſes inaugurales. Determinatio juſta dubiorum propoſitorum maneat Duumviris, quorum doctrinam ſitit orbis eruditus, ego nil niſi conjecturas ſcribo, & his ipſis conjecturis dubia ibi propoſita extendo ac augeo, quibus non erudire alios cupio, ſed quarum propoſitione ac ventilatione publica & ſolenni ab aliis doceri expecto.

*De quibus perſonis hic agendum ſit.*

§. III. Non vero agam de omni perſonarum diviſione ſecundum mores Germanorum, ſed de prima ſaltem, & quæ fundamentum reliquarum eſt, *in liberos & ſervos*, ſic tamen ut & de utriusque ſpeciei ſub diviſione ſim ſollicitus. Igitur & de ruſticis, & de nobilibus, & de civibus, & de mercatoribus, & de opificibus conjecturas inſpergere licebit. Etſi enim non incognitum mihi ſit effatum juris Romani, *in ſervorum conditione, nullam eſſe differentiam, in liberis autem multas*, etſi non ſim neſcius illud aſſertum, ſi uti communiter Doctores id explicant, exponatur, tolerari poſſe, licebit tamen mihi etiam id mutare, ac pro certo ponere, in ſervorum conditione etiam eſſe differentias multas, plures tamen longe & prope infinitas ſecundum Romanorum, quam ſecundum Germanorum mores, ut ex diecendis patebit.

*Et quidem ſecundum mores Germanorum.*

§. IV. Id tamen perpetuo cogitabitur Lector, me de Liberis & ſervis *ſecundum mores Germanorum* eſſe ſcripturum. Unde non expectabit hoc loco leges Romanas, niſi quatenus dicen-

d-

Digitized by Google

da ex loco de oppoſitis forte aut affinibus illuſtranda erunt. Quid enim leges Romanæ ad mores Germanorum?

§. V. Non tamen Romanos ſcriptores plane negligemus. Potius Tacitum de moribus Germanorum, ut fundamenta quædam aſſertionum noſtrarum ponamus, uſurpabimus, neque enim meliorem, neque ſinceriorem ſcriptorem habemus. Quod ſi turpe eſt, Patritio Romano & cauſas in foro oranti ignorare jus populi Romani, annon nobis pudorem excudere deberet, quod unanimi fere conſenſu ſtrenue ignoremus mores Patriæ. Laudem multi affectant, quod leges XII. Tabularum, aut legem quandam Fuſiam Caniniam & ſimiles calleant. Nemo ſibi dedecori eſſe arbitratur, quod ignoret Tacitum aliosque ſcriptores de moribus Germanorum. *& libellum Taciti.*

§. VI. Non pauci in aureum iſtum libellum commentati ſunt, multaque notatu digna obſervarunt. Pauci tamen, & forte ne hi quidem, juſtas & legitimas interpretandi regulas, ad lectionem Taciti attulerunt. Conſideranda eſt intentio ſcribentis, peritia, & bona fides. Primaria intentio Taciti fuit, comparare mores Romanorum & Germanorum, adeoque non tam omnes Germanorum mores velle deſcribere, ſed oſtendere maxime differentiam a moribus Romanorum. Hinc ubique alterum mentis oculum ad ſuos, alterum ad Germanos intendit. Id omnes paginæ ac omnes prope lineæ loquuntur. Peritiam morum Germanicorum habuit aliquam, non adeo magnam & exactam. Neque enim ad intimiora Germaniæ acceſſit. De iis multa retulit ex æuditu, multa judicavit ex moribus Germanorum, Romanorum finibus proximorum, quos tamen ab his corruptos fuiſſe ſæpius annotat ipſe. Multa etiam judicavit ex moribus mancipiorum Germanorum, ad mores Romanos non accurate comparatorum, eosque incaute ad mores Germaniæ applicavit. Ita bona fide quidem ſcripſit, quæ de moribus Germanorum tradidit, ſed ſæpe etiam bona fide erravit. (conf. Dn. Præſid. de jure dandi civit. §. 17. *Cautela de intellectu & interpretatione Taciti.* *Exempla.*

§. VII. Liceat mentem noſtram paucis exemplis declarare. *Nec arare terram* (ait *cap. 14.*) *aut expectare annum tam facile perſuaſeris,* *De agricultura Germanorum.*



Digitized by Google

*eris, quam vocare hoſtes, & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſit ſanguine parare. Quotiens bella non ineunt, non multum* (aut ut alii: *multum*) *venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque. Fortiſſimus quisque ac belli coſiſſimus nihil agens, delegata domus, & penatium & agrorum cura feminis ſenibusque, & infirmiſſimos cuilibet ex familia, ipſi habent: mira diverſitate naturæ; cum iidem homines ſic ament inertiam & oderint quietem.* Communis inde fabula: veteris Germanos non coluiſſe agros, nec agriculturæ dediſſe operam. Quaſi id velit Tacitus, qui comparate ad mores Romanorum loquitur. Multa horum cura grorum, *(vid. Alex. ab Alex. lib. 1. dier. gen. c. 9. Dn. Præſes diſp. de jure dandi civit. §. 5.)* ſub qua & horticulturam comprehendebant. Teſtantur libri eorum ad rem agrariam pertinentes, Varronis, Columellæ &c. Teſtantur libri noſtrorum ut Greenii *de ruſticationibus veterum.* Sed ita curare agros otii ſpecies eſt. Hoc expectare annum vocat Tacitus, id eſt cum cura ſed in otio expectare, quid hoc menſe, quid illo ſerendum vel plantandum ſit, qui flores, quæ legumina, quæ frumenta, qui fructus arborum aut vinearum ſint expectanda. Has agrorum & hortorum delicias non curabant Germani, contenti ſaltem ſimplici agricultura & frumentis ad cibum deſtinatis. Credo enim, pane eos ad cibum fuiſſe uſos, non ſolo lacte aut caſeo. Romani in ruſticationibus ſuis ſe delectabant lectione, vel fictione poëmatis alicujus, vel ſimili animi otioſi fructu. Ignorabant Germani otioſas has ruſticationes, & dum venationibus ſe viri exercerent, & ad bellum ita in pace ſe præpararent, agrorum curam non negligebant, ſed delegabant ſaltem, ut expreſſe Tacitus, fœminis & ſenibus, & infirmis. Dicta confirmat & clarius de agricultura Germanorum loquitur. *cap. 26. Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva per annos mutant & ſupereſt ager, nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſeparent, & hortos rigent. Sola terræ ſeges imperatur.* Ergo falſiſſimum, agriculturam Germanis non fuiſſe in uſu.

§. IIX. In

§. IIX. In eo vero bona fide erravit Tacitus, quod putaverit :rmanos, ſi non in venatione eſſent, tempus per otium, ſomno, oque tranſigere. Fefellit eum comparatio cum Romanorum ribus. Hi dum multi agebant, modo in curia, modo in tem- , modo in palatiis, modo in agris, modo in tabernis, modo in o, modo in bibliothecis, modo in balneis, modo in theatris, do in popinis, modo in lupanaribus, revera nihil agebant, m in his actionibus omnibus ſanitatem corporis perdebant, nimum tribus furiis voluptati, ambitioni & avaritiæ immola- it. Horum nihil faciebant Germani, credo. Neque enim iam, neque templa, neque palatia, neque hortos, neque taber- , nec forum, nec bibliothecas, nec balnea. nec theatra, nec po- as, nec lupanaria habebant. O Felices! Hoc vero Romanis t tempus otio tranſigere. Mancipia Germania his Roma- um actionibus erant minime aſſueta. Non delectabantur *De eorum otio.*

Dominos ſuos in curiam, balnea &c. comitantes ſervi Ger- nici ſomnum capiebant, dum dominos expectarent: Sie ieſſen für langer Weile ein. Domini Romani iſta mirantes: id vos vero facitis pacis tempore? Venamur. Quid tum? non in curia tranſigitis? Minime. Nec in balneis, theatris tis? &c. Minime. Quis *domus curam gerit*, quis *penatium*, quis *orum? Feminæ, ſenes, infirmi.* Vos autem? Quid reſponderent? n aliud certe, quam nihil, hoc eſt nihil horum, quæ vos Ro- ni. Quid ergo Romani? Mirabuntur Germanos omnia in pace *otium tranſigere ſomno ciboque.* Die Kerl thun doch nichts, als ſie freſſen und ſchlaffen. Das müſſen ja wunderliche Leute , *mira diverſitate naturæ, cum iidem homines, ſic ament inertiam deri*[illegible]*tem.*

§. [illegible] Alibi *c. 22. & 23.* de vinolentia & ebrioſitate Germa- um ita diſſerit Tacitus. *Diem noctemque continuare potando i probrum. Crebræ ut inter violentos rixæ, raro conviciis, ſæpius cæde vulneribus tranſigunt. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, ungendis affinitatibus & adſciſcendis principibus, de pace denique ac o, plerumque in conviciis, conſultant: tanquam nullo magis tempore, ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcet.* *De eorum vinolentia & ebrioſitate.*



Digitized by Google

*Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem, adverſus ſitim non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.* Nemo quod ſciam vindicavit ſobrietatem veterum Germanorum. Imo vinolentiam & ebrietatem noſtram ſæpe ex Tacito defendemus, tanquam conſuetudinem laudabilem tot ſeculis a Taciti temporibus ad nos uſque continuatam, daß es ſo ein altes löbliches Herkommen ſey, und daß die ehrlichen alten Teutſchen, ſchon für tauſend Jahren ſo gerne getruncken. Non itaque rem nullius momenti faciemus, ſi tentemus Tacitum ex ipſo Tacito refutare.

*Quæ cum laudata eorum caſtitate minime convenit.*

§. X. Caſtos ad pudorem Romanorum aliarumque Gentium fuiſſe Germanos perſpicue inculcat Tacitus. *Sera* ait *c. 20. juvenum Venus eoque inexhauſta pubertas, nec Virgines feſtinantur: eadem juventa, ſimilis proceritas, pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Et *c. 18. ſevera illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris.* Item *c. 19. ſepta pudicitia agunt nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ* (uxores.) *Literarum ſecreta* (h. e. literas amatorias) *viri pariter ac feminæ ignorant. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. - - - Publicatæ enim* (etiam) *pudicitiæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur.* Quid ais Tacite? Oratio torpentes Germanos eſſe dixiſti, vinolentiam eorum & ebrietatem accuſaſti. Et tamen hi ebrii & otioſi homines caſti eſſe potuerunt. Aut priora falſa ſunt, aut caſtitas Germanorum fabula erit. Quæritur, *Ægiſtus cur nam ſit factus adulter*, inquit Poëta, & ſibi reſpondet: *In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Sine Cerere & Baccho* alius ait, *friget Venus.* Æſtuat ergo, & caſtos eſſe non ſinit, ubi *diem noctemque continuare potando nulli probrum*, ubi *adverſus ſitim nulla temperantia.* Voluptatis indivulſæ partes ſunt ebrietas, otium, libido: & moraliter tam impoſſibile eſt, ut homines ebrii & otio dediti caſtitate ſint conſpicui, quam impoſſibile eſt phyſice, ut mare includatur parvulo cuidam alveo. At de caſtitate Germanorum nemo dubitat, nec juſtæ

Digitized by Google

iſtæ dubitandi cauſæ adſunt. Ergo noſtrum hodie vitium eſt
brietas & vinolentia, quia noſtrum vitium eſt otium & libido.

§. XI. Sed tamen *crebræ apud eos rixæ.* Optandum non
a frequentes eas fuiſſe. Sed quid tum poſtea. Judicium eſſe ais,
anc frequentiam *ut inter vinolentos* notari debere. Quaſi vero
on aliæ potuerint eſſe rixarum cauſæ. Ais vero *vinolentos* fuiſſe
Germanos, qui vinum ignorabant. Mox enim, *ibid.* addis. *Po-
ui humor ex ordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corru-
tus. Proxime ripæ & vinum mercantur.* Proximi ergo a vobis cum
ino etiam vinolentiam mercati ſunt. Hos ab interioribus de-
ebas diſtinquere: ut alibi in ſimili negotio. *Proximi ob uſum
ommerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasque quaſ-
lam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atque eligunt: interiores ſimplicius & an-
iquius permutatione mercium utuntur.* Et alibi: *Gaudent præcipue
initimarum gentium donis, quæ non modo a ſingulis, ſed publice mittun-
ur, ſelecti equi, magna arma, phaleræ torquesque. Jam & pecuniam
accipere docuimus.* vide Tacit. c. 5. & 15.

*Vinolentia Germanorum non ens.*

§. XII. Sed tamen *de rebus maximi momenti in conviviis conſul-
tant.* Nec hoc vinolentiam Germanorum probat. Et falſa ratio
quam ſubdit, tanquam *nullo magis tempore animus ad magnas cogi-
tationes incaleſcat.* Melior illa quam ſtatim adjungit: *Gens non
aſtuta nec callida,* (uti Italia) *aperit adhuc ſecreta pectoris licentia loci.
Ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractatur. Deliberant
dum fingere neſciunt,* (non ob ebrietatem, ſed ob ſinceritatem & hi-
laritatem:) *conſtituunt dum* (poſt reiteratam geſtorum meditatio-
nem) *errare non poſſunt.* Non inconveniens eſt inter pocula de
ſeriis cogitare. Non diſputandum eſt inter pocula, quatenus di-
ſputationes noſtræ bellorum inſtar ſunt, non veritatem inqui-
runt. Examinamus Candidatos noſtros inter pocula. Non ta-
men propterea vinolenti ſumus in examinibus, ſi modo alias non
ſumus.

*Conſultatio in conviviis a nota liberata.*

§. XIII. Vidimus errorem Taciti, videamus nunc erroris
fontem. Ille haud dubie ex moribus mancipiorum Germanico-
rum. Sobrii homines maxime ad potandum apti, ſi poſtea ſe
eo applicent. Ebrietas contra cum viribus corporis etiam vi-
res

*Fons erroris Taciti de ebrietate veterum Germanorum.*

res potandi debilitat. Sobrii non facile inebriantur. Ebrii contra & vinolenti facile potando ſuccumbunt. Vina Italica ad cereviſiam Germanorum comparata, facile palatum & gulam irritant. Non mirum ergo ſi mancipia Germanica modum in bibendo vino Italico non ſervarent, & ſi homines ſobrii, cum ſe ad potandum applicarent imbelles Italos potando vincerent. Aliud ergo erat, *Germanos vinci facile ſi ebrietati indulſeris ſuggerendo quantum concupiſcunt*, aliud quod exinde inferebat Tacitus, eos in media Germania ebritati eſſe deditos. Erant enim mancipia Germamanica etiam tentationi ſcortationis ſubjecta. Et notum eſt, quantum fœminæ Italicæ jam illis temporibus inſaniverint in amore mancipiorum Germanicorum. Juvenum quorum ſera venus, ſi ſcortari incipiant, etiam ad hanc magis apti ſunt, quam illi, qui in tenera ætate rei venereæ operam dare cœperunt. Propterea tamen Tacitus non tribuit Germanorum moribus, quod ſint ad libidinem & adulteria proni.

*Cautio in lectione aliorum Hiſtoricorum Germaniæ adhibenda.*

§. XIV. Sed ſufficiant quidem hæc loco ſpeciminis, ad oſtendendum, quid attendere debeat ſapiens interpres in expoſitione Taciti. Similes cautelæ ſunt adhibendæ in lectione ſcriptorum, qui hiſtorias Germaniæ mediæ tradiderunt. Eo magis enim in his judicium eſt adhibendum, quod plerique in ſeculis barbaris vixerunt ac magna ex parte ſubſidiis ſtudiorum elegantiorum fuere deſtitui, unde longe facilius bona fide in multis errare potuerunt, quam Tacitus. Conſiſtit autem maxime judicium hiſtoricum in vivida imaginatione, ut mores populorum conferamus inter ſe ac connexionem examinemus, & ſtatum populi alicujus imaginemur, non ut mores noſtri ſunt, ſed ut circumſtantiæ illum populum efficientes admittunt, & uti ſtatus populi veriſimiliter eſſe potuit. Adeoque ubique videndum, non ſolum quid Hiſtorici de Germanis noſtris ſcripſerint, ſed & quid ſcribere debuerint.

*Doctrina de ſervis & ingenitis non ex jure Ro-*

§. XV. Jam igitur, ut ad rem ipſam propius accedamus, doctrina de diviſione perſonarum in liberos & ſervos eo minus ex jure Romano eſt exponenda quo magis nec ipſum jus Romanum diffitetur, ſervitutem eſſe conſtitutionem Juris Gentium, & quo

quo magis conſtat ſervorum conditionem apud ſingulas gentes multis modis variare, atque, ut mox videbimus, vel jam Tacitus notavit, ſervos Germanorum a mancipiis Romanis non parum fuiſſe diverſos. Antequam vero ad ſervos Germanorum accedamus, differentiam inter liberos & ſervos a prima origine deducemus.

*mano ſed a prima origine petenda.*

§. XVI. Ab initio haud dubie omnes homines naſcebantur liberi, & ſervitus poſtea ingenuitatem invaſit. Saltem oſtendendum quomodo id factum fuerit. Id vero facile oſtendi poterit, quod & hactenus docuit Dn. Præſes in hiſtoria decori, quod ex poſteris Adami illi qui cum ſanctis Patriarchis vitam ſimplicem & piam vivebant, ac operibus mutuæ charitatis pacem & tranquillitatem etiam externam inter ſe promovebant, præter ſocietatem conjugalem & paternam ignoraverint ſocietatem herilem, & multo magis civilem ſeu Rempublicam aliasque ſocietates minores conſtitutionem Reipublicæ concomitantes. Cain vero tanquam homo invidus & proprietatis cupitus, uti primus communione primæva videtur receſſiſſe, ita & ipſa ſcriptura ſacra teſte primus urbem condidit ac Reipublicæ autor fuit, ſimul vero cum ipſa Republica ſervitutem videtur induxiſſe.

*Servitus omnis Caino ortum debet.*

§. XVII. Quod ut clarius evadat, conſideremus primo paulo penitius, & geneſin & conſtitutionem Reipublicæ Cainiticæ. Falſum eſt, ut jam a Pufendorffio ac Dn. Præſide ſatis oſtenſum, quod, uti Ariſtotelici fabulantur, homo ad ſocietatem civilem a natura rapiatur. Sed nec multo verius, quod in locum iſtius ſententiæ ſubſtitutum fuit, metum adverſus vim injuſtam, cauſam dediſſe conſtituendæ civitatis. Quod ſi enim hoc foret, non improbi ſed probi & Patriarchæ primam civitatem condidiſſent. Jam cum Cainitæ impropi primum urbem extruxerint, juſto metu proborum id haud dubie non fecerunt. Pios vita ſimplex, carentia divitiarum; patientia, & fiducia in Deum adverſus omnem malitiam Cainitarum reddebat ſecuros, & longe ſecuriores, quam ſi fiduciam poſuiſſent in pacta & confœderationes humanas. Hodie ubique jam introductis civitatibus, id ad hac experiuntur

*Geneſis Reipublicæ Cainiticæ. Ejus origo ex odio & metu proborum.*

 viri

Digitized by Google

viri honeſti & probi, venerantur utique Magiſtratum, & ſciunt eum eſſe ordinationem divinam, uti Medicos in ſtatu corrupto. Sed præterea tamen, uti ſciunt felices eſſe, quia ita vivunt, ut Medico non habeant opus, ita ſciunt, felices eſſe qui ita vivunt in Republica, ut non opus habeant, opem Magiſtratus implorare. Sciunt & ſentiunt, non fidendum eſſe in potentibus, quia caro ſunt. Sentiunt gratiæ divinæ, quæ corda hominum dirigit, unice eſſe adſcribendum, quod non pereant artificiis & technis inimicorum. Contra Cain, cum odio proſequeretur probos, etiam eos, quamvis ſine cauſa metuebat. Odium enim diffidentiam, uti amor confidentiam parit. Diffidentiam ſequitur metus, uti confidentiam fiducia. Improbi ſe ipſos metuunt, quia ſe invicem non vere amant. Odium igitur proborum & cupiditas, iis nocendi, ac præterea metus improborum inter ſe eſt cauſa conſtitutæ civitatis Cainiticæ. Nec adeo a vero aberrarunt Bodinus, & Tilemannus, fruſtra propterea notati a Beſoldo *op. polit. lib. 1. p. 50. §. 10.* ſtatuentes omnia regna vi primum coaluiſſe, & ita imperandi rationem ſua natura violentam, vimque & cupiditatem imperandi Reipublicæ cauſam efficientem eſſe.

*Imperantes & ſubditi in Republica Cainitica.* §. XVIII. Omnis civitas, ſeu Reſpublica conſiſtit in ordine imperantium & parentium. Ergo vel maxime prima Civitas Cainitica. Conſtabat illa ex Caini progenie. Omnes erant cognati, & ubique erant parentes & liberi. Etſi igitur Cain tanquam omnium pater haud dubie ſummam rerum gubernationem ſibi reſervaverit, haud dubie tamen etiam magiſtratus conſtituit, & ex liberis ſuis ſeniores tanquam experientia & prudentia præ reliquis pollentes & ad gubernacula Reipublicæ magis aptos junioribus. Reliqui ergo erant meri ſubditi, quibus parendi ſaltem gloria relinquebatur.

*Origo diviſionis hominum in nobiles & ignobiles.* §. XIX. Negat Beſoldus *op. Polit. lib. 4. diſſ. 2. p. 72.* Nobilitatem ex jure Gentium primævo oriri, ſed ex jure civili ortum ducere dicit, & ex eo fieri ait, quod communis nobilitatis definitio populis omnibus conveniens afferri non poſſit. Contrariam ſententiam tamen majori veroſimilitudine defendit ejus frater in lectionibus de Regalibus *ibidem p. 79. & 80.* excerptis. Videamus.

mus. Nobilibus opponuntur ignobiles & plubeji. Profluit hæc diſtinctio hominum non ex voluptate nec ex avaritia, ſed ex ambitione. Nobilitas nomen honoris eſt, plebejum eſſe denotat honore iſto carere. In omni republica ii qui magiſtratus gerunt haud dubie nobiliores ſunt illis, qui ſunt meri ſubditi. Hi igitur plebem conſtituunt & ignobiles ſunt reſpectu magiſtratuum. Habes igitur ſimul in Republica Cainitica originem Nobilium & ignobilium. Prima igitur Nobilitas gentium non a nativitate eſt, quo intuitu omnes ſubditi Reipublicæ Cainiticæ erant æquæ nobiles, poſteri videlicet Regis ſui, ſed ab officio & honore. Neque adeo hæc nobilitas propagabatur ad poſteros, ſed morte finiebatur & ipſa, quia officia non tranſibant ad liberos. Neque plebeji excludebantur a ſpe ſuccedendi in geſtione magiſtratuum, ſed ſpem habebant quod & ipſis poſſint gubernacula Reipublicæ concedi. Nobiles laborare ipſi manu non poterant, & curam rei domeſticæ gerere, cum reſpublica requirat totum hominem. Plebeji vero curam agrorum & pecuariæ gerebant.

*Origo diſtinctionis hominum in liberos & ſervos.*

§. XX. Porro diſtinctio dominiorum natura ſua introduxit mox bonorum inæqualitatem, h. e. divitias ſeu abundantiam bonorum & paupertatem ſeu carentiam eorum. Ex his ſua ſponte ſecuta eſt locatio & conductio operarum, unde ſervi mercenarii. Deinde Cainus, qui ante extructionem urbis violentiæ & homicidio jam erat aſſvetus, & odium ingens adverſus pios conceperat, veroſimiliter progeniem piorum, non æque piam, ſed corruptione humani generis quotidie magis magisque creſcente, in vanitates & odia non parum pronam, multis excurſionibus bellicis ſubinde vellicavit. Hinc captivitates & ſervitutes bellicæ ſecutæ, atque ita mancipia Reipublicæ Cainiticæ immixta ſunt. Habes adeo originem diſtinctionis hominum in liberos & ſervos.

*Comparatio utriusque diviſionis.*

§. XXI. Quam diſtinctionem ſi cum præcedente diſtinctione in nobiles & plebejos conferas, patet eam collationem duplici modo inſtitui poſſe, prout vel a priori vel a poſteriore diviſione incipere velis. Priori modo dicere poteris: Homines in repu-

*Tria hominum genera:*

 blica

*Nobiles, ignobiles ſervi.*

blica Cainitica fuiſſe vel Nobiles vel Ignobiles: Hos vel liberos ſeu Dominos, vel ſervos. Nam ſervi haud dubie non ſunt Nobiles. Poſteriori modo res ſic procedet. Homines in Republica Cainitica erant vel liberi vel ſervi. Liberi vel Nobiles vel Ignobiles. Nobiles enim haud dubie non fuere ſervi. Habes adeo tria genera hominum: duo extrema: Nobiles & ſervos, tertium genus inter utrumque extremorum medium Ignobilium, qui quatenus Nobilibus opponebantur plebeji dicebantur, quatenus ſervis, liberi ſeu Domini.

*Origo diviſionis nobilium in ſuperiores & inferiores.*

§. XXII. Intuitu civitatis & imperii, quod eſt anima Reipublicæ Nobiles gerebant magiſtratus actu, Ignobiles non gerebant quidem ſed tamen per dicta ſpem gerendi magiſtratus habebant. Servi nec gerebant nec ſpem habebant magiſtratuum munia gerendi, quamdiu in ſtatu ſervili manebant. Unde ſtatim ab initio ſervi non erant cives proprie dicti, nobiles vero & ignobiles cives erant, quamvis inæqualiter, quia & ignobiles participabant de muneribus & oneribus civitatis, de his actu, de illis ſpe, & hoc intuitu, qui intuitu nobilium ignobiles erant, ad ſervos comparati nobilium nomine appellari poterant. Habes ita duplicem ſpeciem nobilitatis, ſuperiorem & inferiorem. Et quemadmodum in omnibus vocibus homonymis in doctrina morali & politica tutiſſimum eſt, non reſpicere ad canonem ſæpe fallentem Logicæ Ariſtotelicæ, quod analogus terminus abſolute poſitus accipiatur pro analogato nobiliſſimo, ſed ad terminum oppoſitum, ita & hic res ſe habet. Si enim in rebuspublicis Nobiles opponuntur aliis civibus, intelligitur nobilitas ſuperior, & illi cives plebis vel mere ſubditorum nomine veniunt; ſi ſervis, tunc nobiles denotant omnes ingenuos ſeu dominos ſervorum, ſeu nobiles generice ſic dictos; ſi Ducibus belli, Judicibus aut aliis magiſtratibus, tum denotatur ſpecies inferior nobilium. Quæ in anteceſſum hic notaſſe proderit etiam infra in intelligenda perſonarum diviſione in Republica Germaniæ.

*Differentia inter ſervos mercenarios & mancipia.*

§. XXIII. Porro cum & Paulo ante duplex ſervorum ſpecies adducta fuerit, mercenariorum & mancipiorum, ad intellectum doctrinæ de ſervis Germanorum opus erit, ut & de horum differen-

ntia ex jure & moribus Gentium quædam annotemus, præpri-
is cum circa ea, quæ ſcriptores Juris Naturalis ea de re annota-
ſolent, ſubinde adhuc quædam monenda videantur, & cum
rotes, quibus JCti plurimi in exponenda natura hominum pró-
iorum ineſcati ſunt, maxima ex parte non ſatis mediatæ huic dif-
rentiæ adſcribi mereantur.

§. XXIV. Etſi igitur certum ſit, mancipiorum originem bel- *Non eſt quæ-*
& victoriæ deberi, ſervorum mercenariorum conventioni, *renda in con-*
m tamen & quis perpetuo ſe poſſit alteri ſervitutem perven- *ventione vel*
tionem aut ſimilem contractum tradere, quæſtio orta eſt inter *captivitate.*
octores, de differentia horum perpetuorum mercenariorum
mancipiis. Nos putamus, quemadmodum non omnia man-
pia bello capiuntur, ſed & quæ poſtea ex ancillis noſtris naſcun-
r ſervi vernæ, mancipiorum claſſi moribus Gentium, non re-
ignante jure naturæ adſcribuntur, ita nullum efficax eſſe du-
um, ſi quis ſe ſimpliciter alteri in ſervitutem perpetuam vendat,
ominum in ejusmodi ſervum æqualem poteſtatem nanciſci,
iam habet in mancipium, in tantum ut non ſolum coërcere,
d & alteri vendere talem hominem poſſit, & proles ex ejusmo-
ancillis nata etiam ſit in poteſtate domini, etſi poſt alios diſſen-
ı Illuſtris Pufendorffius. Et videtur adeo mihi nomen per-
tuorum mercenariorum, quo ejusmodi ſervi inſigniuntur, con-
idictionem involvere, cum hic nulla merces ſit, néc ſit, cui
erces ſolvatur. Quod vero jure Romano liber homo eſſet ex-
ı commercium, conſtitutio juris civilis erat. Neque repugnat
s Moſaicum ſi recte attendas quæ diſponuntur Exod. XXI, 2.
q. Levit. XXV, 39. ſeq. Deuteron. XV, 12. ſeq. Nam etſi in
co medio dicatur, Ebræum in ſervitutem ſe vendentem, non
beri tractari ut mancipium, ex reliquis tamen duobus locis id
telligendum eſt, antequam ſe in perpetuum ſervitutem tradi-
rit, & additur ibidem, quod emptus a proſelytis fiat manci-
um.

§. XXV. Porro in ſervos bello captos Domini quidem ha- *Neque in ju-*
bant jus vitæ & necis multarum gentium moribus, at in ſer- *re Vitæ &*
s mercenarios tale jus non indulgetur. Sed nec in eo tamen *Necis.*

conſiſtit eſſentialis differentia inter utroſque. Præterquam enim quod etiam in liberos Jure Romano antiquo parentibus competebat jus vitæ & necis, qui tamen mancipia non erant, notum inſuper eſt, quod ſervi Romanorum mancipia manſerint, etiamſi ſubſequentibus temporibus dominis jus vitæ & necis fuerit ademtum. Intelligo autem per jus vitæ & necis non poteſtatem pro lubitu hominem interficiendi abſque juſta cauſa, ſed jus puniendi etiam pœna mortis delinquentem, de quo nemini teneor regulariter rationes reddere. Quod ſervos mercenarios attinet, uti intuitu eorum, qui ad tempus operas ſuas locant, facile intelligi poteſt, quod locatio operarum per ſe non inferat conceſſionem juris vitæ & necis, ita tamen nulla ratio prohibet, cur ejusmodi mercenarius pacto locationis cum effectu hanc clauſulam non inſerere poſſit. Qui vero ad perpetua ſervitia ſe vendunt non video, cur hi vel ex natura contractus tacite jus vitæ & necis in Dominum non tranſtuliſſe cenſeri debeant, etſi hic rurſus diſſentiat Illuſtris Pufendorffius.

*Neque in poteſtate coërcendi arctiore aut laxiore.*

§. XXVI. Solet etiam eſſe in multis civitatibus poteſtas coërcendi laxior in mancipia, magis reſtricta in ſervos mercenarios, in tantum ut domini ſæpe etiam ob modicam famulorum & ancillarum coërcitionem, ſoleant a magiſtratu mulcta puniri, cum contra apud Romanos etiam illo tempore, ubi jus vitæ & necis jam erat abrogatum, & nimia ſævitia ac intolerabilis injuria reſcriptis Imperatoriis inſuper, ſub conditione ſervorum bonis conditionibus vendendorum eſſet abrogata, liceret tamen ſervos vincire, verberare, cuſtodiæ mandare, piſtrino tradere &c. Sed nec hoc tamen perpetuum eſt, quin potius arbitror, initio circa eos, qui ad dies vitæ ſe alteri in ſervitutem tradunt, eandem coërcitionem domino competere, quæ competit, in ſervos bello captos; deinde quæ de reſtrictiore poteſtate in mercenarios temporarios allata ſunt, ex lege civili proveniunt, a qua jam quidem abſtrahimus. Ut taceam, & in hos regulariter dominos coërcitionem exercere ſat gravem, non ſolum potentiores, ſed & ſi qui ſunt de infima plebe. Nam vel opifices eorumque uxores tyrones, qui ſimul tempore tyrocinii operas famulares præſtant, ſæpe

ſæpe verberibus coërcent, ut adeo reſtrictio poteſtatis hujus ſaltem in pauciſſimis locis & intuitu paucorum dominorum ſit recepta, adeoque vix notabilem exceptionem a regula faciat.

*Neque in acquiſitione Dominorum per ſervos.*

§. XXVII. Porro per mancipia quidem acquirunt Domini, per ſervos mercenarios non acquirunt, niſi operis eorum, ſed nec hic tamen effectus primam differentiam inter utrosque notat. Nam ſervus perpetuo mercenarius, uti vocatur, eodem modo, niſi aliud conventum ſit, acquiret domino, ut ſervus bello acquiſitus. Et ſervus mercenarius, qui operas ſuas ad tempus locavit, quia libertatem ſuam alteri non addixit, poterit quidem aliunde ex hereditatibus vel donis aliorum acquirere, ſed per operas ſuas, quas domino dicavit, nihil vel certe parum acquiret. Adde quod qui famulentur rariſſime hereditates, quæ momenti alicujus ſint, expectent, & ſæpe ſoleant domini, quæ ſervis donantur; (das trinckgeld) quia plerumque intuitu dominorum donatio fit, vel ſibi ipſis vindicare, vel pro lubitu inter famulos diſtribuere. Imo non obſtat, quin cum mercenario etiam pactum iniri poſſit, ut dominus conſtante locationis tempore etiam hereditates & ſimilia per ipſum acquirat, quo pacto adjecto tamen ex ſervo mercenario non fiet mancipium. Ut taceam, Romanos olim etiam liberos ſuos omnia acquiſiviſſe, & plurimos ſervos, quibus peculii adminiſtratio conceſſa erat, aut qui præponebantur aliis ſervis, ita ex communi conſvetudine dominorum variis rebus etiam ad luxum uti, atque eas alienare potuiſſe, ut in effectu eorum conditio hoc intuitu parum differens fuerit a conditione famulorum, aut ſi dicere licet quod res eſt, magis invidenda erat conditio illorum mancipiorum, quam multorum famulorum.

*Neque in eminentia dignitatis.*

§. XXIIX. Nec putes, famulos dignitate & exiſtimatione manere præmancipiis. Cogita ſervos Romanorum, cogita Romanos potentes, quingentos & ultra ſervos poſſidentes, (quod ex Fuſia Caninia loquatur,) cogita varia officia ſervorum, diſpenſatores, atrienſes, oſtiarios, obſonatores, cubicularios, nomenclatores, focarios, lecticarios, villicos, ordinarios, vicarios, pædagogos, educatores, capſarios &c. & facile patebit, plurima mancipia in æquali ſi non in majori æſtimatione non tantum plebis,

bis, ſed & aliorum civium fuiſſe, quam hodie ſunt apud nos Conſiliarii primi Principum Germaniæ mediæ conditionis, hoc eſt non adeo potentum. Contra ſervi mercenarii viles ſunt & ad vilia miniſteria adhibentur, parum differentes a viliſſimis ex plebe, qui per dies operas ſuas locant. Niſi dicere velis, eandem hac parte eſſe rationem famulorum quæ mancipiorum erat, cum famuli Principum & Magnatum non ſint a claſſe famulorum eximendi, etſi non omnes nomine famulorum ſed dominorum appellentur.

*Neque in libertate actionum.*

§. XXIX. Denique nec in libero exercitio actionum differentia eſt quærenda, ac ſi mancipia ita ſint ſub poteſtate dominorum, ut plane nihil quo velint, agere liceat, famuli contra liberius poſſint de actionibus ſuis diſponere. Non iſta libertas utrobique variat, prout dominum quis nactus eſt benignum vel durum. Poſſunt famuli jugum intolerabile dominorum pati. Poſſunt mancipia ſæpe majori libertate gaudere indultu dominorum, quam nec multi homines liberi affectare poſſunt, etiamſi nullus dominus id impediat.

*Sed in ſola proprietate & quod mancipia rebus accenſeantur.*

§. XXX. Nulla ergo remanet differentia, quam quod mancipia ſeu ſervi proprie dicti, quorſum adeo iterum refero etiam qui ſe vendiderunt dominis, ſint inpropietate, famuli non ſint: hoc eſt quod ſervi non poſſint me invito exire ex ſervitio, domini vero poſſint eos etiam invitos transferre in poteſtatem aliorum, cum famuli & mercenarii finito locationis tempore domino etiam invito abeant, & Dominus mercedem iis ſolvere cogatur, nec debeat etiam ipſos ante finitum tempus invitos dimittere, multo minus aliis dominis tradere. Paucis: mercenarii ut perſonæ conſiderantur ſeu ut cives, ſervi in civitatibus non ad perſonas pertinent, ſed ad res. Unde famuli ſub imperio ſunt, ſervi ſub dominio. Neque hæc differentia Romanis peculiaris eſt, ſed moribus aliarum genitum etiam conformis. Et neſcio, cur id immane videatur illuſtri Pufendorffio, quod ſervi rebus accenſeantur, & quod eodem modo de ſervo quis dicat, hic meus eſt, ac de jumento hoc meum eſt. Etſi enim non negemus, dominum ſemper recordari debere, ſervum eſſe hominem, omnibus juribus humanitatis capacem, debet tamen etiam miſereri jumentorum. Etſi

pec-

Digitized by Google

ɜccet Dominus ſi crudeliter tractet mancipia ejusmodi & ſer-
ɔs, peccare tamen etiam poteſt in adminiſtratione & exercitio
ɔminii intuitu rerum aliarum. *Conf. Exod. XX. 21. 29. 32.*

§. XXXI. Fluunt ex hac differentia reliquæ. Nam ideo ıia ſervus perpetuus, ſive captus, ſive ex conventione acqui-ˈus in proprietate eſt, regulariter abſtrahendo à jure civili ha-ːt dominus jus vitæ & necis & poteſtatem coërcendi graviter, omnia per ipſum acquirendi, ei in domo pro lubitu miniſte-um aſſignandi & adimendi, libertatem actionum pro lubitu la-ndi & limitandi, in tantum, ut hæc omnia eo ipſo quo quis ſer-ıs perpetuus eſt, absque ſpeciali conventione juri dominico imitate cohærere videantur, niſi certis ex rationibus leges civi-ːis iſtam poteſtatem moderentur. Contra quod mercenarios famulos temporarios attinet, hic omnia a pacto & conventione pendent, ac plerumque & regulariter res ſe aliter habet ac in rvis, niſi aliud expreſſe conventum ſit. *Unde & reliqua differentiæ proſluunt.*

§. XXXII. Fuere hæc, quæ hactenus de differentia ſervo-m notavimus, eo majori cum cura notanda, quo ſecurius ea mmuniter negliguntur, & quo confuſius poſtea in doctrina de ferentia inter liberos & ſervos procedi ſolet, cujus confuſio-ʒ cauſa fere unica eſt, quod partim exacta differentia ſervorum famulorum hactenus expoſita non attendatur, partim etiam ʼa libertatis differentia a ſervitute quacunque ignoretur. Nec rum, quod Politici & Jure Conſulti hic coecutire ſoleant, cum ɔe in conceptu genuino libertatis ipſi Philoſophi morales & ıeologi ſint talpa coeciores. Omnes libertatem crepamus, uci quid libertas ſit ſcimus, vel ideo quia pauciſſimi ea de re udenter cogitamus. *Obſcuritas in voce libertatis & liberorum hominum.*

§. XXXIII. Quantis tenebris adhuc involuta ſit doctrina de ıero arbitrio, iis conſtat, qui absque præjudicio ſectæ & auto-atis ſcripta eam in rem Eraſmi & Lutheri legit. Multa erudite erque, ſed multa etiam utriusque ulteriorem merentur diſcus-ɔnem. Neque enim notæ, quæ in noviore Lutheri de ſervo bitrio editione a Theologo Argentoratenſi adjectæ ſunt, viro ıti nominis dignæ, & maxima ex parte in id ſolum tendunt, at- *Obſcuritas doctrinæ de libero arbitrio.*

 que

nnibus hominibus ante introductam ſervitutem competen-
m, quam etiam ſervi habent, qui *vi & jure* prohibentur eam exer-
re. Et ineptius adhuc eſt emplaſtrum interpretum quorun-
im, qui ſervos *ſtatu* non *vi & jure* impediri ajunt, quaſi ſtatus ſer-
orum non inceperit a vi bellica, & quaſi jus Gentium aut Civile
on impediat libertatem ſervorum, & ſtatum ſervilem legibus
oërceat. Et vereor, ut omne dubium tollatur, ſi liberum ho-
ninem cum aliis definias, *qui careat domino*, quia ſervi ſunt, qui
habent dominum. Hoc pacto enim libertas vel concipitur, quid
non ſit, vel pro mera privatione falſo ventilatur. Et quid ſi quis
urgeat, hoc modo omnes homines in Republica ſervos eſſe, præ-
ter ſolum Principem, quia Principes & ſint & dicantur Domini
ſubditorum. Diſtinctio inter libertatem civilem & perſonalem
rem magis intricabit. Libertati opponitur ſervitus. Ergo & ſer-
vitus erit vel civilis vel perſonalis. Et ſubditi ergo erunt ſervi
civiles. Prince uti etiam quoad perſonam liber eſt, ita & ſub-
diti quoad perſonam ſervi erunt, cum Princeps ſummum jus &
illimitatum habeat in perſonas ſubditorum. Quodſi diſtingue-
res inter libertatem & ſervitutem in territorio reipublicæ & in do-
mo, & ſic parum proficeres. Spatium enim laxius & anguſtius
ſtatum libertatis aut ſervitutis non mutare poſſunt. Mancipium
divitis domini, cujus operis dominus in parva villa utitur æque
mancipium eſt, ac illud, quod omnibus ejus ſervis & negotiis eſt
propoſitum, & ex officio ſervili perpetuo huc illuc iter facit.

§. XXXV. Quodſi ſubditorum nulla eſt a ſervis differentia, ignoramus profecto omnem differentiam inter ingenuos & ſer- vos. Ingenuitas enim eſt ſtatus infra majeſtatem poſitus, & cha- racter ſubditorum qui liberi eſſe dicuntur. Et profecto, quo plus dubitamus, eo magis dubii reddimur. Jus Regis, quod Samuel populo Iſraëlitico exponit, *1. Sam. 8.* expreſſe dicit, *quod ſervi futuri ſint regis*. Qui de moribus tyrannicis Gentium finitimarum Sa- muelem accipiunt & juri huic Regio opponunt aliud jus Regis deſcriptum *Deuteron. c. 17.* illi profecto fluctus movent in ſimpulo, & officium Regis a jure ejus, poteſtatem ab obligatione ſecernere ignorant, ſeducti forte doctrina non lepida juris Romani, vel ſi *Subditi ſervi ſecundum jus regium Hebræorum*

mavis Tribonianei, ſecundum quod obligatio eſt certa juris ſpecies. Petebant Iſraelitæ Regem, ut aliæ gentes habebant. Deus igitur dum per Samuelem jus Regis Iſraelitici expoſuit, docuit ſimul jus Regum omnium, adeoque docuit, omnium Regum ſubditos ſervos eſſe. *vid. Schickardus de jure Regio Hebræorum, & ejus Gloſſator ad titulum. Beſold. Op. Polit. lib. 2. p. 64. ſeqq. Martinus Schoockius de quadruplici lege Regia.*

*Nulla diſtinctio inter tyrannidem & regnum.*

§. XXXVI. Quid quod ipſa diſtinctio inter tyrannidem, imperium deſpoticum & regnum, quæ tamen gemma eſt politicæ vulgaris, videtur ſimul labaſcere. Olim monarchæ omnes tyranni appellabantur, quia omnium ſubditi ab iis, qui in libera civitate vivebant, pro ſervis habebantur. Hinc toties in declamationibus veterum fit mentio legis de præmio tyrannicidæ, cujus intentionem dum noſtri homines ignorant, ineptiſſime in Academiis de tyrannicidio diſputant, & neſcio quam diſtinctiunculam inter tyrannum titulo & exercitio, nullo in diſputatione illa uſui futuram excogitant. Unde tot ineptiores quæſtiones, quænam requirantur ad tyrannum exercitio, quæ plerumque tyrannum ita deſcribunt, ut in merum evadat ens rationis, quod nullibi terrarum oſtendi poteſt. *Conf. Puſend. de I. N. lib. VII. c. 6.* Regnum dicitur, ubi Princeps primario utilitatem publicam curat, Tyrannis, ubi propriam. Deus eſt, non homo, qui primario aliorum utilitatem quærit. Omnes noſtrum intereſſe quærimus, publicam utilitatem prætendimus. Qui aliter de ſe arbitratur, hypocrita eſt, qui de aliis, naturam humani generis ignorat. Non eſt turpe, crede mihi, ſuam quærere utilitatem, ſi id absque damno aliorum fiat, multo magis ſi cum commodo aliorum, etſi non primario ſpectato. Faciunt id omnes domini in ſocietate herili. Cur adeo non facerent Principes in regno, cum tamen ſubditi, ut diximus ſint ſervi. Imo etiam ſi ſervi non eſſent. Eadem eſt in Academiis tyranni definitio quæ Chriſtiani. Quis tam abſurda ſibi imaginaretur? Tyrannus eſt, qui primario ſuum commodum quærit. Idem etiam Chriſtianus. Nam recta charitas, Chriſtiani etiam, incipit a ſe ipſa. Res eſt ex omnibus ſyſtematibus nota.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Si ſubditi ſervi ſunt, omnes Principes Monarchæ erunt Domini, & ſi omnes Principes jure ſuo utilitatem privatam primario ſpectant, omne imperium unius erit deſpoticum, ſeu Dominatus, adeoque diſtinctio inter regnum abſolutum, civile tamen, & Dominatum humi procumbet. Et cur non procumberet? Omnes Reges Domini ſimpliciter & in eminentiſſimo gradu dicuntur. Stabilito Imperio ſub Domitiano idem titulus radices egit in imperio etiam Romano. Inde Gallorum Sire &c. *vid. Dn. Becm. notit. dignit. diſſert. 1. c. 4. Beſold. Op. Polit. lib. 3. p. 9. &* 23. Quid quod cum Dominicum imperium ſoleant appellare tyrannidem legitimam, *(Beſ. ibid. p. 22. 23.)* & modo oſtenderimus, omnem monarchiam tyrannidem eſſe, etſi hodie non ita appelletur ob errorem illum Pſeudo eruditorum, facile etiam patebit, omnem monarchiam eſſe dominatum. Ita & perpetuo vocem uſurpat Tacitus. *vid. Freinshem. indic. in vocibus: dominatio & dominus.* *Nec inter dominatum & imperium civile.*

§. XXXIIX. Adulationi & diſſimulationi originem debet diſtinctio inter imperium civile & dominatum. Plinius in panegyrico: *Scis ut ſunt diverſa natura, dominatio & Principatus, ita non ſons hujus aliis eſſe Principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur.* Et paulo poſt: *Hic* (Trajanus) *regnum ipſum, quæque alia captivitas gignit, arcet, ac ſubmovet, ſedemque obtinet Principis, ne ſit Domino locus.* Aſt quis floſculis hujusmodi Principis Panegyriſtarum, h. e. adulatorum publicorum ſuperſtrueret ſanam doctrinam Politicam, præprimis cum ipſe Plinius ad Trajanum ſcribens, non abſtinea a Domini appellatione. Notius eſt, quam quod notiſſimum, Auguſtum, ne videretur poteſtatem regiam gerere, quam revera gerebat, domini titulum omnibus modis declinaſſe. Hujus veſtigia calcabat Trajanus, etſi non paſſibus æquis. Alius & multo impudentior ſcriptor, (liceat enim Theologum Chriſtianum jungere JCto Pagano,) Divus ſeu Beatus Gregorius Magnus, & adulatorum Maximus, ad monſtrum hominis Phocam Imperatorem ſcribens, inter alias infames adulationes hæc addit: *Hoc intereſſe inter Reges Gentium & Reipublicæ Imperatores, quod illi ſervorum Domini ſint, Cæſares Liberorum.* Sed quid ſanum ac ſolidum in do- *Adulatio & diſſimulatio fons hujus diſtinctionis.*

 ctri-

ctrina de liberis & ſervis expectes ab homine, qui parricidium Phocæ plusquam ſervili adulatione tantum non laudavit, & Gloriam in excelſis ſuper ejus imperio canere Angelis mandavit? *Conf. Arnold.* Ketzer-Hiſtorie *in Phoca & Gregoria Magno. Becm. & Beſold. dd. ll.*

*Exempla incerta imperii deſpotici, Populi Barbari & Moratiores.*

§. XXXIX. Exempla imperii deſpotici ſi quæras, pariter ſe oſtendit imbecillitas diſtinctionis. Docuit Ariſtoteles, *l. Polit. c. 1.* Dominicam hanc Monarchiam fere ſemper in uſu apud Barbaros fuiſſe, ut qui ſint natura ſervi. Dari ſervos, natura non nego, quin imo ſtatuo reges, nobiles, eruditos, muſicos, oratores, Duces bellicos, artifices, liberales, fortes, poëtas, JCtos, &c. naſci non fieri, Servorum natura elegans exemplum recenſet Lorentz Müller in der *Septentrionaliſchen* Hiſtorie *p. 33.* de ruſticis Livonicis, quorum miſeræ conditioni cum olim Rex Poloniæ Stephanus anno 1582. ex miſericordia ſuccurrere vellet, atque conſtitueret, ut, ſi peccarent, loco immanium verberum, ipſis imponeretur mulcta leviſſima, reſponderunt, ſe malle omnia dura perpeti, quam novitatem aliquam contra mores receptos introducere. Sed populos Barbaros natura ſervos eſſe non concedo, quia notum eſt diſtinctionem inter populos barbaros & moratiores, faſtui Græcorum debere originem, qui ſe ſolos ſapientes & moratiores, reliquos omnes barbaros dicebant, quem faſtum poſtea Romani imitati ſunt. Sequioribus temporibus Hiſpani idem de ſe gloriantes ſub hoc inani prætextu occupationem bellicam novi orbis, etiam in publicis ſcriptis defendere non erubuerunt. Hodie Natio Gallica vel noſtra adulatione fere per longiſſimi temporis poſſeſſionem hunc titulum præſcriptione acquiſivit, & Hiſpanos pariter ac nos vulgaribus proverbiis & in variis ſcriptis tanquam barbaros traducit, ut de Ægyptiis, Sinenſibus aliisque populis ſimilia patrantibus jam taceam. Sed jam alibi oſtendit Dominus Præſes, inſigne divinæ prudentiæ ſpecimen eſſe, quod populi moratiores, communiter maxime irrationabili, barbari contra rationabiliori idololatriæ dediti fuerint, & quod palpabiliter monſtrari poſſit, moratiores gentes ſemper majoribus ac magis horrendis vitiis fuiſſe deditos quam populos barbaros. Accedit, quod evidens ſit,

mul-

Digitized by Google

multos populos barbaros majori libertate gaviſos eſſe, quam moratiores, quod vel exemplo Germanorum antiquorum, hodie B. H. P. quos honoris cauſa non nomino, diſtinctius patet. Turcæ & Moſcovitæ communiter allegantur in exemplum Imperii Deſpotici inter Barbaros. *Vid. Beſold. Op. Pol. 3. p. 26.* Sed & hic tamen multa monenda. Dubium eſt & valde controverſum inter cordatiores, utrum Rex Galliæ magis dominice imperet ſuis ſubditis, ac Imperatores Turcarum & Moſcovitarum ſuis. Nota clauſula: *Car* tel eſt noſtre plaiſir, cujus tanta eſt efficacia, ut Cardinalis etiam Bullionæus, etiam Romæ in gremio Eccleſiæ, ejus fragrantiam ſenſerit. Alia infinita ut jam taceam. Multa inſuper falſa immixta ſunt in hiſtoriis vulgaribus de moribus populorum, quale illud, quod uxores Moſcovitarum non credant ſe amari a maritis, niſi miſere vapulent. Multa nobis videntur ſervilia, quia a noſtris moribus aliena. Gravibus verberibus coërceri magnos miniſtros magnorum Imperatorum, ideo apud nos ſervile habetur, quia apud nos non moris eſt, ſed ſoli ſervi ita tractantur. Ignominiæ genera enim maximam partem ex moribus arbitrariis æſtimantur. Apud Romanos gravior injuria erat alapa, quia ſervi ſic coërcebantur, quam fuſtis, quia militaris pœnæ genus erat. Eadem obſervatio & hodie apud nos in uſu eſt, ſi cum milite gregario res ſit. At inter Nobiles & Studioſos, gravior ignominia eſt fuſtis quam alapa. Ita mores hominum etiam in una natione variant. Honori duxerunt ſibi nobiles ſi alapa a magno Principe data apti declarentur ad ſubeunda militaria officia, aut in poſſeſſionem mittantur majoris dignitatis. Etiam Imperatores Romani aliique Reges Europæi cœlum ſe mereri putarunt, ſi ab infami & pediculoſo monacho flagellis cæderentur. Non erubuerunt Domini dominantium, ſed laudi ſibi duxerunt, ſi ſervi ſervorum pedes graveolentos oſculati ſunt. Et nos dedecori eſſe Ruſſorum Magnatibus putamus, ſi ſcutica coërceantur a ſuo Imperatore. Gloriantur Ruſſi ſe maritos eſſe ſuarum uxorum. Moratiores ſubditi gloriantur, & in ſinu gaudent, ſi Principes eorum amori uxorum ſe inſinuaverint. Etiam Neronis etiam Heliogabali Aulici Principes ſuos benignos & patres

tres patriæ eſſe prædicant. Ita mundus regitur opinionibus. Quilibet populus ſe extollit & alios contemnit, quilibet mores ſuos admiratur, aliorum pro barbaris habet. Ita ſuum cuique pulcrum. Ita nondum invenimus exemplum clarum & perſpicuum Imperii Deſpotici.

*Quid libertas, quid ſervitus?*

§. XL. Quid ergo in tanta obſcuritate & incertitudine de libertate dicemus? Proferemus & hic conjecturas noſtras, ſed paucis. De libertate interna voluntatis hic non agimus, ſed de externa, quæ bonis fortunæ annumeratur. Non eſt libertas hæc facultas faciendi, quod velis, ſed imitatur voluptatem Epicuream, quæ non eſt poſitio jucunditatis, verum carentia doloris. Ita libertas vera eſt carentia ſervitutis. Inde actio pro libertate etiam humana magis negatoria eſt quam confeſſoria; Inde beſtiæ etiam, qui curam noſtram & ſervitutem evaſerunt, naturalem libertatem recuperaſſe dicuntur. Servitus autem eſt neceſſitas faciendi, quod alii velint, & quidem in ſuam utilitatem. Non quidem in damnum meum, ſed abſtrahendo an mihi hoc utile ſit, an minus. Neceſſitas faciendi quod alii velint in meam utilitatem, non ſervitutis ſed libertatis ſpecies eſt. Hæc dum neglexerunt Politici & JCti, omnia turbarunt. Sed pergo. Prætextus quod ea, quæ ex aliena voluntate neceſſitate adactus facio, vergant in meam utilitatem, ſpecies ſervitutis eſt & gravioris plerumque, quia libertatem mentitur, uti gravior morbus eſt, qui non ſentitur. Dantur enim & gradus libertatis & gradus ſervitutis. Qui pauca in aliorum utilitatem *cogitur* facere ex parte liber eſt, qui omnia *ſponte* facit in aliorum utilitatem is ſumme liber eſt. Qui dominum nanciſcitur, ſic ſuam quærentem utilitatem, ut ſervi plane negligat, vel plane aperte eam perdat, is extreme ſervus eſt. Qui domino paret, poſt ſuam etiam ſervi quærenti utilitatem, is ſervitutem tolerabilem ſervit. Ex his facile judicari poteſt, de libertatis cum ſervitute mutatione aut vice verſa. Signa externa fallunt. Et poteſt adeo quis pro libero haberi, qui revera ſervus eſt, & pro ſervo, qui liber eſt, ut qui dominum nactus eſt benignum & indulgentem, aut qui ſponte facit omnia, quæ a domino deſiderantur. Appellari tamen

ſolent

lent in Politicis & Jure homines liberi vel ſervi ſecundum id, quod communiter a poſitis in certo ſtatu ſigno externo declarato, fieri ſolet, vel debet, non attentis exceptionibus paucis. In his enim doctrinis ſemper a potiori fit denominatio.

§. XLI. Nunc probam inſtituamus, an conjecturæ noſtræ ſint veroſimiles, id eſt, utrum ex iis facile inveſtigare poſſimus liberos & ſervos in ſocietatibus humanis. Incipiemus autem a domo tanquam ſimpliciore. Paterfamilias liber eſt, quia in domo a nemine cogitur (id eſt cogi debet) ut agat in aliorum utilitatem, ſed quæ facit in uxoris, liberorum, ſervorum utilitatem, ſponte facit. Uxor non ſerva eſt, ſed ex parte libera, quia pauca cogitur facere ad utilitatem familiæ, tanquam ſocia mariti, ſponte amans liberos, & utilitatem communem rei familiaris quærens, ſed quæ tamen ſub mariti imperio eſt & ſi tum quædam facere cogitur ad propriam ſimul utilitatem id facit, quia ſocia eſt. Liberi ſunt revera liberi, etſi multo tempore omnia faciant ex neceſſitate impoſita a voluntate patris & matris, quia omnia hæc faciunt in propriam utilitatem, ut fiant membra ſocialia. Servi, ſervi ſunt, quia quæ agunt, agunt in utilitatem domini, dominæ, liberorum. Servi mercenarii non ſunt ex parte liberi, quia & hi regulariter, vel omnia vel plurima faciunt neceſſario ad utilitatem domini. Ergo ſunt æque ſervi ut mancipia, ſed ut diximus temporarii, imo magis ſervi ſunt, quam mancipia, ſi ſecundum mores communes populi dominos benignos hi nanciſcantur, illi duros & auſteros. Mancipia quin ſint veri ſervi nemo dubitat, modo tamen vivunt in ſervitute tolerabili, ſi domini ex more gentis ſint benigni, modo in extrema ſervitute, ſi domini ſint aſperi. Quod ſi manumittantur a dominis, quacunque etiam, modo ſeria voluntatis declaratione, deſinunt ſimul eſſe pars familiæ, & fiunt liberi, niſi duriores conditiones ex more gentis manumiſſioni apponantur, tum enim nonniſi nomine a ſervis differunt. *Quis liber, quis ſervus in familia.*

§. XLII. Media ſocietas inter familiam & civitatem eſt collegium ſeu univerſitas quævis, in qua plures ſunt patresfamilias. Hi liberi manent, etſi ſecundum leges ſocietatis illius multa ex neceſſitate agunt, non tam ideo, quod collegium ſeu univerſitas *Patresfamilias in collegiis & univerſitatibus.*

D ori-

*…r liberi …anent.* originem ſumat ex conſenſu, nam ſervi, qui in perpetuam ſervitutem conſenſu ſuo ſe vendiderunt, nihilominus ſervi ſunt; ſed partim quod leges ſeu pacta ſpecialia collegii, quæ ipſis neceſſitatem agendi imponunt non ſimpliciter pro voluntate aliena haberi poſſunt, cum vota ſingulorum in condendis etiam ſtatutis concurrant, & ab initio incertum ſit, quænam vota pluralitatem conſtitutura ſit: partim quod illa ſtatuta non reſpiciant peculiarem ſingulorum votantium, aut etiam eorum, qui pluralitatem faciunt, ſed communem totius univerſitatis utilitatem.

*…ives liberi …n libera Re…ublica. Sub…iti an liberi …n Ariſtocra…ia.*

§. XLIII. In Civitate quæ in terminis liberæ Reipublicæ manet, ex iis, quæ modo de collegiis dicta ſunt, facile apparet, quaratione cives omnes liberi ſint, etiamſi omnes ſint ſubditi, quia ſcilicet omnes in legum conſtitutione votis ſuis concurrunt, adeoque omnes conjunctim ſumti imperium habent, legesque in Democratia ſatis evidenter reſpiciunt utilitatem communem vel omnium, vel certe plurium. In illa civitate ubi pauci imperant, quæ Ariſtocratia dici ſolet, cum imperantes & ſubditi hic ſint diſtincti difficilior inſpectio eſt. Ipſi Optimates haud dubie liberi ſunt & magis liberi quam cives in Democratia. Nam ad ſe invicem relati, etſi etiam ſinguli ſint ſubditi, eadem tamen obtinet, quæ de civibus in Democratia modo diximus. Sed ad plebem relati majori libertate gaudent, dum ipſi ſoli leges condunt & neceſſitatem plebi imponunt, nec paria a plebe metuunt, adeoque quæ ipſi faciunt, intuitu plebis ſponte faciunt, imo & plurima in ipſorum utilitatem per leges a plebe fiunt. Uti enim in Democratia jura omnia ſunt æqualia, ita in Ariſtocratia non poteſt non inæqualitas jurium introduci, cum imperantium hic ſemper ſint plures prærogativæ præ plebe. Subditi igitur ſeu plebs non ita liberi ſunt in Ariſtocratia quam in Democratia, quia multa coguntur facere propter dictam inæqualitatem in utilitatem optimatum. Neque adeo appellantur etiam in politicis cives liberi, uti cives in Democratia. Non tamen dicuntur ſervi, quia quædam leges non ſolum per prætextum ſed & revera ipſorum utilitatem reſpiciunt, & quia leges multas actiones ipſis liberas relinquunt, neque in hujus ex optimatibus arbitrio eſt ſine conſenſu

colle-

collegii hominibus ex plebe pro imperio aliquid injungere, ſunt ergo liberi in gradu quamvis inferiori. Quod ſi tamen per leges omnes pene actiones plebis ſint ligatæ & contra ſumma inæqualitate ad eadem vincula actionum non ſint adſtricti imperantes, nullum eſt dubium, ejusmodi ſubditos revera ſervos eſſe imperantium, & eo graviorem ſervitutem ſervire, quo palpabilius eſt, utilitatem publicam ab imperantibus ſaltem prætextus loco uſurpari, adhuc graviorem, ſi populo perſuadeatur ſub tali jugo eſſe liberam rempublicam. Et adeo ſi hic liberi ſunt dicendi ſubditi, ſunt ſaltem reſpectu ſuorum ſervorum domeſticorum. (Exemplum hujus obſervationis eſſe poteſt Reſpublica Romana poſt ejectos Reges, per ea quæ fuſius docet Dn. Præſes *lib. 1. de navis Jurisprud. Antejuſtin.*

§. XLIV. In Monarhia occurrunt Princeps, Nobiles ſeu Senatus, Plebs. Princeps, haud dubie liber eſt, & quidem in eminenti gradu, quia omnia ſponte facit, non dependens a voluntate alterius. Intelligo vero Principem, qui revera Monarcha eſt, non dependens a Senatu, ſed eo tantum tanquam conſilio utens. Neque enim hic reſpicio titulum Imperatoris, Regis, Principis &c. Rem ipſam conſidero, an ſummam poteſtatem habeat nec ne. Nec me turbant leges fundamentales. Poterit enim iis non obſtantibus ſummam & abſolutam Princeps poteſtatem retinere, ſive generales ſaltem articulos contineant illæ de officio Principis, ſive etiam ſpeciales, modo ipſa participatio majeſtatis ſtatibus regni per eas non tribuatur, & hi non poſſint irritas reddere actus principis, legibus fundamentalibus repugnantes, ſed ſaltem intentio ſit legum fundamentalium, ut vinculum injiciant conſcientiæ Principis. Talis princeps revera dominus ſimul eſt ſubditorum ſuorum, quia ipſe leges fert ſubditis ſuis in utilitatem ſuam primario tendentes, etſi per conſequentiam etiam tendant in utilitatem ſubditorum. Nec hic Princeps committit aliquid injuſti, cum omnes homines natura quærant commodum proprium, & quæ ſibi utilia videntur, facile ſibi perſuadent eſſe etiam utilia aliis. Quamvis igitur utilitas publica in monarchia vera & abſoluta ſemper prætexi ſoleat, communis tamen hic regula

*In Monarchia Princeps Dominus, ſubditi ſervi.*

 eſt,

Digitized by Google

eſt, in ſalute ſeu utilitate principis ſitam eſſe utilitatem ſubditorum, uti a ſalute domini fere dependet utilitas ſervorum. Adde, quod in Monarchia judicium de ſalute publica eſt penes ſolum Principem, ſubditis non niſi parendi gloria eſt relicta, uti in domo judicium de utilitate familiæ eſt penes ſolum dominum.

*Comparatio dominii & ſervitutis civilis cum familiari, patrisfamilias & patris patriæ.*

§. XLV. Ergo ſi Monarcha eſt dominus civitatis, ſequitur, quod etiam Politici tradunt, quod omnes ſubditi ſint ſervi civiles. Correlatum enim libertatis civilis eſt civilis ſervitus. Saltem oſtendendum, quomodo ſervitus civilis differat a ſervitute domeſtica. Non melius rem explicare potero, quam quod differant eodem modo, uti domus a Monarchia. Monarchia eſt magna domus. Domus eſt parva monarchia. Monarchia non eſt in domo, ſed domus in monarchia, ut quæ conſtat ex pluribus familiis. Hinc Princeps tanquam caput Monarchiæ non eſt ſervus Patrisfamilias, ſed Paterfamilias eſt ſervus Principis. Princeps nullius ſervus eſt, ſed omnino liber & omnium dominus, paterfamilias & ſervus eſt intuitu Principis, & Dominus intuitu ſervorum ſuorum, & liber intuitu liberorum & uxoris aliorumque plurimorum concivium, qui non ſunt magiſtratus. Servus & famulus domeſticus plane non eſt dominus, nec liber, habet tamen ſpem libertatis, famulus certam, mancipium incertam, uterque ſpem incertam dominii. Dominus familiæ dicitur paterfamilias, Princeps pater civitatis, vel Pater patriæ. Uti vero uſu Politico & Juridico, paterfamilias quis dicitur non tam in reſpectu ad liberos, quam intuitu libertatis vel dominii, quod in familia, cujus caput eſt, gerit, (nam & impubes pater familias audit), ita etiam res cum Principe ſe habet. Quis enim & qua fronte aſſereret, Principem dici Patrem patriæ, quod ſubditi ſint ejus liberi, niſi unicam illam & primam civitatem Cainiticam excipias, aut quod etiamſi non ſint liberi, deberet tamen affectu paterno ſubditos tanquam liberos proſequi. Ignarus eſt naturæ humanæ, qui talia poſtularet ab ullo homine. Ipſe Deus Regem Iſraëlitis dans, hoc non poſtulavit ab eo, ſed ſervitutem civilem, adeoque & effectum dominicum principis, ſi non probavit, ſaltem non improbavit. Igitur Pater patriæ.

Digitized by Google

patriæ appellatur, intuitu libertatis & poteſtatis in patriam hoc eſt homines in patria viventes, ut modo de ſignificatione patrisfamilias diximus. Adulationi panegyriſtarum aut ipſi Rhetoricæ Principum debemus, quod Princeps vero patri, ſubditi liberis ſint comparati. Cogita ſaltem magiſtratum minorem. Exuenda huic eſt omnis proſopolypſia & affectus paternus, ſi nolit ſuſpectus eſſe. Ipſe Cain eo momento, quo Princeps factus eſt, deſiit eſſe pater, & factus eſt Dominus. Patria poteſtas natura vel excludit jus vitæ & necis, vel includit. Si excludit, (ut puto,) apertum eſt, ſubditos non eſſe liberis in familia comparandos, quia Princeps ſine jure vitæ & necis Principis ſaltem nomen mentitur. Si includit, exigua eſt in domo differentia inter liberos & ſervos, niſi, quod ſervi perpetui ſpem habeant incertiſſimam libertatis, liberi habeant ſpem magis fundatam, quod ſint poſt educationem ipſi patresfamilias futuri, a ſervis autem mercenariis tum plane non differunt. Sic igitur in quæſtione præſenti vel litigavimus magis de nomine quam de re, vel etiam hoc reſpectu injuſta eſſet comparatio inter tales liberos & ſubditos. Nam ſubditi Monarchæ non habent niſi ſpem incertiſſimam libertatis ſuæ, ſi ſcilicet familia regnatrix plane intereat, alias enim mortuo rege, non fiunt liberi, ſed mutant ſaltem dominum, unde hoc intuitu nec regulariter cum mercenariis ſervis familiæ exacte comparari poſſunt, ſed propiores ſunt mancipiis, & homines proprii ipſius Principis. Quamvis enim ad dignitates adhibeantur ſubditi, jam ſupra tamen diximus, etiam ſervis familiaribus & mancipiis poſſe talia officia committi, & ſufficit, quod uti dominus, pro lubitu poteſt ſervo officium adimere, ita Princeps Monarcha poteſt pro lubitu officialem ſuum ab officio dimittere. Niſi in eo differentiam quæras, quod ſubditis libera ſit emigratio (quamvis nec hoc in regnis abſolutis perpetuum,) mancipiis non ſit libera poteſtas mutandi dominum, nam hoc reſpectu fierent ſimiliores ſervis mercenariis, qui & ipſi finito tempore dominos ſaltem mutant, rariſſime ipſi fiunt domini.

§. XLVI. Fluit ſimul ex dictis, quod, ſi ſtrenue urgeas, eſſe tamen aliquam differentiam inter Regnum & Imperium Deſpoticum *Diſtinctio ſubtilis & non magni*

*momenti inter Monarchiam deſpoticam & non deſpoticam.*

cum; non enim negari poſſe ſubditos ab uno principe mitius tractari ab altero durius, adeoque illum inſtar patris eſſe, hunc inſtar Domini, concedam equidem prius aſſertum, negabo tamen exinde deductam illationem, & contra urgebo, differentiam quæcunque etiam hic ſubſit ſubtiliorem eſſe, quam ut magnum uſum ſit allatura in ſapientia civili. Differet enim hoc modo ſaltem regnum & deſpoticum imperium uti differunt dominus benignus & durus. Sed quemadmodum ſecundum vulgare, pater quamvis durus, tamen pater eſt, ita pari ratione dominus, quamvis benignus, tamen dominus eſt. Ergo ſi tu velis Principem durum ideo dominum appellare, quia durus eſt, & benignum ideo patrem, quia benignus eſt, ridebit te tertius & vel regnum ſuum dividet in regnum benignum & durum, ac tuum deſpotam appellabit patrem durum, vel deſpoticum tuum imperium dividet in dominatum benignum & durum, ac Principem tuum vocabit dominum benignum. Uno verbo: ſubtilitas iſta tua nullius eſt uſus. Sæpe etiam in domo difficile eſt affectum paternum a dominico ſeparare. Multi patres ita duri ſunt, ut liberos ſuos non magis ament, quam ſervos, & a liberis etiam timeantur ut domini. Contra dantur domini, qui tam benigni ſunt, ut ſervos ſuos æque ament, ut liberos, & ſervi etiam eos venerantur ut patres. Interim ut ſupra monitum, quando de utroque ſecundum regulas doctrinæ Politicæ aut Jurisprudentiæ in abſtracto diſſerimus, nomina damus eorum ſtatui externo, prout ſigna externa ferunt, non prout affectio interna, h. e. quomodo ex natura ſocietatis eſſe debent non prout ſunt. Hinc igitur pater durus pater eſt, & dominus benignus dominus manet. Adde, quod nec uſus veſter, quem in diſtinctione illa quæritis, ſit magni momenti. Regum & Principem laudatis propter benignitatem, Deſpotam & Dominatum vel vituperatis vel contemnitis propter duritiem. Quaſi benignitas ſemper foret commendanda, & ſemper vituperio ſit obnoxia durities. Blanda patrem ſegnes facit indulgentia natos, & ſæpe ſtultus amor parentum erga liberos, hos perdens benignitatis paternæ titulo falſo inſignitur. Sæpe duro nodo durus quærendus eſt cuneus, ac uti commune dictum canit: Ruſtica

ca gens eſt optima flens, & peſſima ridens; Ungentem pungit, pungentem ruſticus ungit; ita eadem cantilena canenda eſt Principi, ſi bene gubernare velit, qui duros nodos & truncos pro ſubditis habet.

§. XLVII. Maneat ergo firmum, Principem in vera Monarchia non patrem ſubditorum eſſe, ſed dominum, & ſubditos intuitu principis non eſſe liberos ſed ſervos. Nec me deterret a veritatis profeſſione calumnia, quam facile olfacio, quaſi hæc ſint principia Machiavellica, eum in finem inventa, ut Principibus ſaltem adulemur, eosque, jam ſatis ad id pronos, inſtigemus, ut ſubditos non tondeant, ſed deglubant. Reſpondeo ſiquidem, ridiculum eſſe, ſibi perſuadere, quaſi diſputationes ſcholaſticæ efficaciam habeant eam, ut aulas, quæ alto ſupercilio deſpiciunt ſcholas, alteraturæ ſint, uti ridiculum eſſe jam plures oſtenderunt, quaſi Machiavelli libri principes corruperint. Nec Machiavellica eſt doctrina noſtra, nec Principibus adulatur. Convenit ea cum doctrina Samuelis, populum Iſraëliticum de jure Regis informantis, an etiam Samuel Machiavelliſta fuit? Abuterentur Principes doctrina noſtra, ſi prætextu ejus vellent injuria aut injuſtitia afficere ſubditos. Maledictus enim eſt dominus, qui erga mancipium etiam ſuum non eſt humanus, mitis, miſericors. Sed maledictus etiam eſt pater, qui nimis indulget liberis. Nec quicquam prodeſt adverſa doctrina ad emendationem Principum duritiei adſuetorum. Nam vel gloriabuntur, ſe eſſe patres quamvis duros, & vel ſe ideo amare ſubditos, quia durius eos tractent, ſecundum vulgatum, je lieber Kind, je ſchärffer Ruthe; vel culpam duritiei in ſubditos transferent. Eodem modo ſe hic res habent, uti in controverſia Horni cum Wittebergenſibus de dominio eminente. Neque enim verior Hornii aſſertio dominii eminentis corrumpit Principes, neque inanis doctrina adverſa de imperio eminente vel obulum prodeſt ſubditis.

*Liberatur doctrina noſtra a ſuſpicione adulationis & Machiavelliſmi.*

§. XLIIX. Unicum reſtat dubium, quod anſam videtur dediſſe ſententiæ communi de libertate ſubditorum etiam in Monarchia & imperio abſoluto. Quis enim ſibi parſuadere vellet, homines liberos eo dementiæ eſſe perventuros, ut libertatem

*Oſtenditur fons erroris in ſententia communi de libertate.*

rem

*Subditorum in Monarchia.*

rem inæſtimabilem ſint vendituri, & magis præſumendum eſt, ſibi patrem voluiſſe eligere, ſalva ſua libertate quam dominum ea perdita. Sed facillima eſt hujus dubii & varia ſolutio. Initio enim ob modo dicta iſta diſtinctio inter Patrem & Dominum nihil habet in receſſu. Deinde, ſi ſinguli abſque dementia poſſunt ſe in perpetuam vendere ſervitutem, poteſt etiam populus idem facere, præprimis, cum ſimiles neceſſitates poſſint ſæpius urgere integrum populum, ut alterius imperio libertatem ſuam vendat, quæ neceſſitant ad vendendam libertatem ſingulos. Tertio, ſi abſolutum imperium, & cum hoc Dominium non tranſtulerunt ſubditi in electione in Principem ſuum, non pertinet caſus hic ad noſtram quæſtionem, ubi de Monarchia & imperio abſoluto loquimur. Deinde ſupponit hæc objectio falſam hypotheſin, quaſi Monarchia prima ſit per electionem introducta, cum tamen contrarium ſupra fuerit de Republica Cainitica oſtenſum; & potius putarem, me ſecure quovis pignore certare poſſe, ne unum quidem dari poſſe exemplum, quod (1) populus liber, vel etiam optimates, (2) citra vim aut ſummam neceſſitatem conſtituerint (3) Monarcham, ſeu imperium abſolutum in unum principem tranſtulerint. Omnes enim Monarchæ, qui abſolute imperant debent abſolutum hoc imperium, ſeu ſtilo magis barbaro abſolutezzam vel ſouverainitatem coactioni & violentiæ, vel ſi magis, juri belli, aut facto de facto. Nec eſt, quod factum Iſraëlitarum urgeas, regem eligentium. Nam neque ipſi eligebant, ſed Deus dabat, neque Iſraëlitæ erant populus liber, ſed Dominum ſaltem mutabant, neque Reges populi Iſraelitici erant veri Monarchæ, deſtituti videlicet poteſtate legislatoria, jure circa ſacra, aliiſque pluribus majeſtatis characteribus.

*Servi domeſtici principis, & horum comparatio ad ſervos ſubditorum & ſubditos reliquos.*

§. XLIX. Cæterum cum Princeps in Monarchia ſit etiam paterfamilias, & ſic ob eminentiam in civitate pluribus ſervis in ſua familia habeat opus, inde contingere poteſt facile ut ſervi illi non omnes ſint bello capti, ſed ut etiam ex civibus quidam ſervitio principis domeſtico ſe addixerint, adeoque non ſolum ſervitute civili ut ſubditi Principi ſerviant, ſed & ſervitute familiari ut patrifamilias, & vel ut ſervi mercenarii ſi ſaltem ad tempus

ſive

ſive certum ſive indefinitum principi ſerviant, vel ut mancipia principis, ſi ſe perpetuo ſervitiis principis dediderint, præprimis ſi & uxorem liberos ſimul in poteſtatem dominicam principis tranſtulerint. Hos ſi ad reliquos ſervos ſubditorum referas, nullum eſt dubium, quin & tales ſervi Principis in tantum emineant, ſaltem ratione dignitatis, ſervos ſubditorum, in quantum ipſe Princeps dignitate eminet eorum dominos. Quodſi vero eos compares ad reliquos ſubditos, non difficulter intelligitur, quod reliqui ſubditi, quamvis & ipſi ſint ſervi civiles, videantur quodammodo liberiores eſſe ſervis domeſticis Principis. Cum non ſolum reliqui ſubditi ſaltem ſimplici vinculo, ſervi miniſteriales Principis contra duplici ſint ligati, ſed &, quia miniſteriales quoad nullas aut certe paucas actiones ſine voluntate ſpeciali Principis aliquid agere poſſunt, aut reliquis ſubditis fere ſufficit voluntas Principis generaliſſima & communis, legibus declarata ad dirigendas ſuas actiones paucas, pleraſque, ſi non omnes, abſque ſpeciali voluntate principis inſtituunt. Unde quo remotior quis eſt ab aula & civilibus officiis ſubditus & paterfamilias, eo liberior eſt in civitate: Contra quo propior quis eſt principi & quo carior miniſter, eo majori ſervituti eſt immerſus. Neque eſt, quod putes, doctrinam hanc ſapere grillos philoſophiæ ſcholaſticæ ſaltem & umbratilis, neque aptam eſſe ad ſapientiam vel prudentiam civilem, ſi modo illud obſerves, diſtinguendum eſſe inter Monarchiam veram ſeu abſolutam, & inter Monarchiæ ſpeciem, ubi Rex vel princeps ſaltem quoad dignitatem eminet populum abſque poteſtate regia, aut certe, ubi populus decreta principis ſecundum leges fundamentales ſubinde poteſt imminuere vel impedire. Ad palatum viventium in vera monarchia non eſt iſta ſapientia liberior, quia hic ſervituti quis magis eſt adſvetus, & dulce ac variis libidinibus ſe commendans eſt ſervitium aulicum, libertas autem genuina & ſapiens magis contemta. At in Republica liberiore, quæ ſaltem monarchice adminiſtratur, obſervatio iſta magni fit, & in ipſa praxi pro liberioribus habentur remoti a miniſterio aulico, pro ſervis contra vel etiam pro mancipiis miniſteriales aulici.

*Senatûs in Republica antiquitus ex ſenibus conſtitit. Veneratio ſenum naturalis. Comparatio prudentiæ & eruditionis.*

§. L. De principe ſatis. Pergo ad Senatum & Nobiles. Hic præter ea quæ jam *ſupra §. 19. & 22.* annotavimus, obſervandum eſt, in Republica Cainitica veroſimiliter ſeniores ad functiones & dignitates Reipublicæ fuiſſe adhibitos. Nam natura humani generis docet venerationem ſenum antiquiſſimam eſſe & fere apud omnes gentes receptam, imo ſuo modo naturalem eſſe, quia veneratione digni ſunt, quos pro bonis habemus, id eſt, qui non ſolum cognitionem boni & mali poſſident, ſed & ad alios homines comparati tantis vitiis non ſunt immerſi. Sed ſenes & longa rerum experientia magis norunt, quid bonum aut malum ſit, & vel magis dominari poſſunt affectibus ſuis, ne erumpant in actus exteriores, vel certe magis ad diſſimulationem vitiorum ſunt apti, minimum a voluptatis illecebris, quæ fere ſola pro vitio politico habetur, omnium longiſſime ſunt remoti, & ambitionis temperatæ contra ac avaritiæ cautioris majora ſigna dant, quorum illa ad regendam rempublicam & tranquillitatem externam, hæc ad acquiſitionem opum, omnium rerum ſufficientiam & notas frugi patrisfamilias, putantur eſſe convenientiora. Paucis: Regulariter Senes comparati ad juvenes ejusdem ſtatus prudentiores his ſunt ob diuturnam experientiam, & adeo etiam ſapientiores. Nam prudentia & ſapientia revera unum ſunt. Prudens enim homo non poteſt eſſe ſtultus, & ſapiens imprudens, eo ipſo quo imprudens eſt, ſtultus eſt & inſipiens. Addo: Senex non eruditus etiam prudentior eſt, juveni erudito, imo cæteris paribus prudentior eſſe videtur ſene erudito. Probo paradoxum. Omnes fatemur, eruditionem acquiri & doceri in ſcholis & Academiis. Fatemur prudentiam doceri non poſſe. Imo ſi doceri poſſet, non doceretur in Academiis. Eruditio eſt ſcientia univerſalium ſive ea ſint in vita civili uſui futura ſive non. Prudentia eſt obſervatio ſingularium, quæ in vita civili uſum habent. Quo altior & ſubtilior abſtractio eſt, eo cenſetur quis eſſe eruditior. Contra quo ſenſibilior & vulgarior eſt experientia, eo magis apta eſt ad veram Prudentiam, (non aſtutiam,) acquirendam: nam vera prudentia ſimplex eſt. Animus hominis ita comparatus eſt, ut homo quidem poſſit varia cogitare ſucceſſive, ſed difficulter

con-

contraria. Contraria ſunt maxime ſpeculationes ſubtiles, & attenta obſervatio rerum ſingularium. Ergo eruditio impedit prudentiam, & prudentia multa eruditione non habet opus. Q.E.D. Exempla omnium functionum civilium, & omnium artium rem illuſtrant. Quo enim eruditior quis eſt in omni ſcientiarum genere, eo minus aptus eſt ad praxin, eo minus ſocialis eſt, & conſequenter minus prudens. Contra quo citius quis praxi manum admovet, eo cautior fit, & eo melius rem expedit, etſi fere ineptior fiat ad ſubtiles & profundas ſpeculationes. Dantur quidem magna ingenia, quæ & prudentia & eruditione excellunt. Sed hæc ſunt valde rara, & ad exceptionem pertinent, non ad regulam.

§. LI. Unde non mirum, quod inter regulas ſapientiæ civilis inculcetur tam a ſcriptoribus profanis, quam in ſcriptura ſacra, indicium bene conſtitutæ Reipublicæ eſſe, ſi ſenes ſint in veneratione, male ſi contemnentur, ut ſi rex puer ſit, aut ſapiens quis ſit in urbe, qui conſiliis ſuis opem ferre poſſit eidem in neceſſitatibus & anguſtiis conſtitutæ, ſed quem nemo attendat, ſed cujus ſapientiam reliqui cives vel ignorent, vel contemnant. Nec diffitendum tamen eſt, ſæpiſſime venerationem iſtam negligi, cujus rei quamvis plurimæ poſſint eſſe cauſæ, quas hic expedire noſtri inſtituti non eſt, id tamen obſervaſſe non erit alienum a ſcopo, quod in democratia & ariſtocratia major ſoleat eſſe veneratio ſenum quam in monarchia abſoluta. In hac enim cum regnum ſit ſucceſſivum & adeo princeps juvenis etiam habenas imperii poſt mortem patris ſuſcipiat, & vero natura humana ſic ſit comparata, ut bona noſtra lubentius partiamur cum iis, qui æqualis ſunt ætatis, inde non poteſt non fieri, ut ſeniores fere negligantur, & princeps munia ſua diſtribuat ſui æqualibus. Alia ratio eſt Monarchiæ, ubi Rex eſt provectæ ætatis, quamvis & hic variæ ſoleant eſſe cauſæ facilius promovendi juniores quam ubi pauci imperant, aut populus liber eſt. Id obiter nota, communiter pro illuſtranda hac doctrina afferri ſolere exemplum Roboami, ſed non convenienter. Erat enim Roboam quadragenarius, & adeo non apte Lutherus videtur eos qui cum rege educati erant, appellare juvenes aut juniores.

*Comparatio Monarchiæ cum aliis Rerumpublicarum ſpeciebus, quoad venerationem ſenum.*

*Nobilitatis ad liberos tranſitoria ortus.*

§. LII. Porro, quamvis ſupra dixerimus, quod ii qui munia Reipublicæ geſſerint, ſeu Senatus (qui a ſenibus ex quibus eſt compoſitus nomen accepit) fuerint eminenter nobiles, & adeo nobilitas cohæſerit muneri, neque ad liberos tranſierit, prout etiam in pluribus aliis rebuspublicis id obſervatum eſt; interim tamen ſecundum naturam hominum fere aliter evenire nequit, quam ut filii ſenatorum ſtatim in prima educatione prærogativam aliquam habuerint præ reliquis liberis, & non ſolum a ſui æqualibus aliqua venerationis umbra a tenera juventute ſint honorati, ſed & ſæpius ab ipſis civibus ignobilioribus ad captandam parentum eorum gratiam humanius fuerint tractati, quam æqualium liberi. Unde, etſi poſt mortem parentum hæc æſtimatio facile iterum potuerit decreſcere, & ſæpe nativitas ipſis impedimento eſſe ad nanciſcendos honores, ſi parentes eorum multos inimicos ſibi paraſſent; quilibet tamen facile cognoſcit, quam non difficulter nobilitas ad liberos tranſitoria ex nobilitate muneri cohærente ortum ducere potuerit, præprimis ſi munera non fuerint annua, ſed ad dies vitæ conceſſa. Cum enim in magno honore prius fuerint habiti, qui patrem, avum, proavum ſenatores ciere poterant, & horum imagines oſtendere, facile poſtea factum eſt, ut occaſione honoris arrepta rem tanquam jure ſtricto debitam ſibi & ſuæ poſteritati vindicaverint, quamvis haud dubie in Ariſtocratia & Monarchia hæc res celeriores ſemper habuerit progreſſus, quam in Republica libera.

*Nobiles in Monarchia diverſo reſpectu ſervi, liberi, domini.*

§. LIII. Etſi igitur *nobiles* & Senatus in Monarchia diſparis plane quoad libertatem ſint conditionis a Senatu & Optimatibus in Ariſtocratia, cum in Monarchia non ſolum ſinguli ſint ſubditi, ſed etiam *ſervi* Principis, quia tamen & in Monarchia imperium habent, etſi dependens a Principe, in reliquos ſubditos, hoc reſpectu *domini intermedii*, & quia illorum actiones plures per privilegium Principis magis laxantur quam reliquorum ſubditorum, hoc intuitu etiam *liberi*, tanquam inter ſervos principis præcipui, habentur. Aſt nobiles inter ſe ipſos comparati, cum alii tantum ſerviant ſervitutem civilem, alii inſuper ex conventione ſint principis ſervi domeſtici vel perpetui vel temporarii, (*per dicta §. 49.*) no-

vo

vo reſpectu dividentur in *liberos*, *famulos*, & *homines proprios* principis.

§. LIV. Reſtant *plebeji*, h. e. meri ſubditi non magiſtratus. Hi quidem uti magis *ſervi* civiles ſunt quam nobiles, quoniam tamen ſervos familiares habent & mancipia, ac horum *domini* ſunt atque ſic in familia *liberi*, ſervis his oppoſiti ad liberos homines referuntur. Imo & ratione civitatis pro *liberis* habebuntur, qui non ſunt *ſervi domeſtici* principis & ejus *homines proprii*.

*Simili ſed tamen alio modo hæc tria nomina participant plebeji.*

§. LV. Denique in Monarchia *ſervi* ſubditorum domeſtici *perpetui*, uti tantum *ſervi* ſunt, & nullo reſpectu *Domini* aut *liberi*; ita de ſervis *mercenariis* tenendum, quod, uti in comparatione dominorum ſuorum ſunt *ſervi*, ita in comparatione mancipiorum ob ſpem certam exeundi ex conditione ſervili, ſint *liberi*; imo cum communiter non tanta ſoleat eſſe dominorum poteſtas in mercenarios, etiam aliquo modo intuitu dominorum. Ipſi tamen, quamdiu hanc ſervitutem ſerviunt *dominorum* nomen non participant.

*Servi domeſtici ſubditorum quomodo liberi?*

§. LVI. Non injucundum erit tot varios eosque commixtos ſignificatus ſervitutis, libertatis, dominii in Monarchia uno intuitu tanquam in ſcala prædicamentali ſiſtere confuſionis evitandæ cauſa, ac paucis inter ſe comparare.

*Scala prædicamentalis dominorum, liberorum, ſervorum in Monarchia.*

| | |
|---|---|
| 1. *Dominus. Liber.* | Princeps. |
| 2. *Dominus. Liber. Servus.* | Nobiles. |
| 3. *Dominus. Liber. Servus.* | Plebejus. |
| 4. *Liber. Servus.* | Famulus. |
| 5. *Servus.* | Homo proprius. |

Ex his ſolus Princeps ut vides liber eſt & dominus, homo proprius ſubditorum, ſolum ſervus. Famulus diverſo reſpectu liber & ſer-

 ſer-

ſervus. Nobilis & plebejus civis inſuper dominus. Habes tria genera dominorum, quatuor ſervorum, quatuor liberorum. In claſſe dominorum & liberorum, ſuperiore loco poſiti reliquos eminent, in claſſe ſervorum infimi maximum ſervitutis gradum habent.

*Diſtinctio nobilium, & plebejorum pro diverſitate Rerumpublicarum.*

§. LVII. Eſt & in eo præter hactenus notatas inter tres Reipublicæ ſpecies differentia: quod in libera Republica diſtinctio inter plebejos & nobiles regulariter non ſit tanta uti in Ariſtocratia & Monarchia, cum nobiles magiſtratu ſepoſito vitam privatam degant agriculturæ vel alii vitæ genere dediti, & plebeji ſpem magis fundatam habeant, ut & ipſi ad munus magiſtratuum poſſint adhiberi. Hic igitur character nobilitatis & plebeitatis fere vagus eſt. At in Ariſtocratia optimates ſeverius cuſtodire ſolent characterem nobilitatis, & transmittere ad poſteros atque magna cura arcere plebem ab imperio, & multa ſepimenta ponere quæ impedimento ſint, ne nobiles & plebeji confundantur. In Monarchia regulariter quidem Principes diſtinctionem inter nobiles & plebejos conſervant, ſed non cura tanta ut in Ariſtocratia. Sæpe enim ratio ſtatus & ſtudium conſervandæ Monarchiæ ſvadet ut plebeji in ſtatum nobilium evehantur, ut nobilium plura genera conſtituantur, quam in aliis rebuspublicis in uſu ſunt, inde regale nobilitandi. Sæpe eadem cautio impellit principes, ut nobiles deprimant, non ut ordo nobilitatis plane extinguatur in Monarchia, quod eſt ex rebus Politice impoſſibilibus, ſed ut ſaltem mutetur. Hinc regulariter antiquæ nobilitatis ſuppreſſio, eſt evectio plebejorum in privilegia antiquorum.

*Favor libertorum ſecundum illam diverſitatem diverſus.*

§. LIIX. Pari ratione & quod libertos attinet, ſeu qui ſervi & homines proprii eſſe deſierunt, in Republica libera rariſſime fiunt participes juris civitatis, & a ſervis ipſis non multum differunt. In Ariſtocratia manumiſſi quidem non difficulter accipient jura civium plebejorum, ſed difficile tranſibunt ad claſſem nobilium. In Monarchia vero variæ cauſæ nec infrequenter intervenire poſſunt, ut ſaltum faciant a ſtatu ſervitutis ad ſummum gradum nobilitatis, quas prolixius hic exponere inſtituti non eſt. Exempla proſtant apud omnes gentes. Ex his fontibus etiam habebis ratio-

tionem Antiquæ apud Romanos diſtinctionis inter libertos latinos, deditițios &c. & cur Imperatorum tempore hæc diſtinctio fuerit ſublata.

§. LIX. Fundamentis hiſce jactis jam videamus ſervos Germanorum & liberos homines. Incipiamus autem a Julio Cæſare. Hic *lib. 6. de bello Gallico cap. 13. & 15. In omni Gallia*, inquit, *hominum qui aliquo ſunt numero atque honore* (ut civium loco habeantur) *genera ſunt duo*, (quæ quodammodo correſpondent cum ſenatu & ſacerdotibus Romanorum.) *Nam plebs* (quæ apud Romanos novum & tertium, aut, ſi equites Romanorum adnumeres, quartum faciebat) *pene ſervorum* (noſtrorum i. e. Romanorum) *habetur loco, quæ per ſe nihilaudet* (uti plebs Romana ſeceſſionibus multis Senatus plebis cita & alia privilegia extorſit) *& nulli adhibetur conſilio* (adeoque civium numero plane non habetur in republica alias libera, ſed ſervili conditione apud Gallos eſt.) *Plerique* (ex hac plebe) *cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus*, (equitibus & Druidibus.) *In hos* (adeo) *eadem omnia ſunt jura, quæ dominis* (etiam Romanis) *in ſervos. Sed de his duobus generibus* (nobilibus) *alterum eſt Druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant &c. Alterum genus eſt equitum, ii cum eſt uſus atque aliquod bellum incidit, omnes in bello verſantur, atque eorum, ut quisque eſt genere, copiisque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clientesque habet, hanc unam gratiam potentiam noverunt.*

*De ſervis & liberis hominibus Gallorum locus Cæſaris cum ſuccincta periphraſi.*

§. LX. Rides, quod de Germanorum ſervis & liberis acturi incipiamus de Gallis dicere, cum tamen ipſe Cæſar d. l. 6. c. 21. dicat *Germanos multum a conſuetudine Gallorum differre*, & Beſoldus *Op. Polit. lib. 4. cap. II. p. 86.* non ſine ratione notaverit, Germanorum civitatem docente Tacito ex plebe & nobilitate conflatam melius inſtitutam fuiſſe, quam Gallorum veterum, qui ſecundum Cæſarem nulla plebis habita ratione, quæ ſervorum loco fuerit, ordinis ſaltem Druidum & Equitum habuerint. Sed nihil muto.

*Gallorum & Germanorum mores hac in re an diverſi fuerint.*

§. LXI.

*Oſtenditur non fuiſſe.* §. LXI. Nam ut taceam Germanorum mores quantum cunque etiam a Gallicis differant, non tamen tantum eos differre, quantum differunt a Romanis, ex quorum tamen jure & moribus proh dolor mores Germanorum noſtrorum exponi ſolent: inſuper id verius eſt, quod Strabo notavit *Geogr. lib. 7. Germanos a Gallis parum differentes eſſe, ſi virtutis, corporum magnitudinis & fulvi coloris excellentiam ſpectes. Sed & forma & MORIBUS & victu adſimiles eſſe Gallorum, itaque recte videri Romanos hoc nomen eis indidiſſe, cum eos fratres eſſe Gallorum voluerint oſtendere.* An autem Cæſari contrarium aſſerenti tuto ſatis hac in re fides haberi poſſit, cum Cluverio Germ. antiq. *l. 1. c. 3. ſ. 25. & 27.* dubitare liceat, cum innumeris hodie convinci poſſit argumentis, non ſine ratione Aſinium Pollionem eum de negligentia in conſcribendis commentariis adhibita reprehendiſſe. Adde, quod ipſe Cæſar dum poſt recenſitos Gallorum mores, Germanorum conſvetudinem ab his diverſam eſſe dicit, ſaltem de iis momentis ſit intelligendus, in quibus differentiam eſſe oſtendit, ac circa diviſionem gentis in nobiles & plebejos; & quod plebs ſervorum loco fuerit habita nihil diverſum notat, niſi quod Druides ſeu ſacerdotes Germanos non habuiſſe aſſerat, in quo tamen capite Cæſar a Cluverio *l. 1. c. 24.* & aliis paſſim refutatur. Denique quod Beſoldum attinet, ſequentia oſtendent, Gallos Cæſaris & Germanos Taciti eosdem ordines populi agnoviſſe, & ſaltem Beſoldum fuiſſe deceptum diverſo plebis ſignificatu, quo aliter Cæſar utitur, aliter Tacitus, ille pro ſervis, ut conſtat, alter pro ingenuis & nobilibus inferioris dignitatis, ut mox videbimus.

*Cluverii expoſitio de ſenſu Cæſaris rejicitur.* §. LXII. Videamus potius de ſenſu verborum Cæſaris, & utrum recte periphraſi noſtra ea explicuerimus, Cluverii *d. ſ. 23.* de illis ea eſt ſententia. *Omnem Galliæ populum in* tria *diſtribuit Cæſar genera, quorum unum fuit* Druidum, *alterum* equitum, *tertium* plebis. *Equitum hic vocabulum civile magis cenſeo quam militare, quemadmodum omnis populus Romanus in patricios, equites & plebem diſtinctus fuit. Nos Gallorum antiquum populum ſit Germanice diſtinxerimus:* Der geiſtliche oder der Pfaffen-Stand; Der Ritter-Stand und der gemeine Pöbel. *Sub equitum vocabulo pedites quoque milites*

*com-*

*comprehendi Cæſari quis dubitet? alioqui omnem Gallorum militiam, ſolo, ut ante dictum, equitatu conſtitiſſe credendum foret, quod oppido quam abſurdum & Cæſaris aliorumque narrationibus maxime contrarium.* Quæ de Equitibus obſervavit Cluverius, recte, ut puto, ſe habent, & notari merentur, cum Cæſar utique videatur (uti ſupra de Tacito obſervavimus) de Gallis loqui in comparatione ad mores Romanorum. Quod autem ad triplex illud Gallorum genus attinet, quod Cluverius ex verbis Cæſaris exſculpere vult, in eo videtur magis Claſſes populi Romani in mente habuiſſe, quam verba Cæſaris ante oculos poſita. Nam cum Cæſar expreſſe diviſionem Gallorum opponat ordinibus Romanorum, & duo ſaltem genera eorum eſſe dicat, neſcio cur Cluverius ſervos Gallorum inter ordines populi referre velit, niſi pariter dicas, eum voce plebis ejusque uſu latino ex moribus Romanorum deſumto, deceptum eſſe. Alias ſi Cluverii expoſitio procederet, poſſemus papiſticam illam apud Germanos hodiernos diviſionem in Lehr-Wehr- und Nehr-Stand, egregie illuſtrare, præprimis cum ea, quæ Cæſar ibidem de Druidum autoritate ac potentia, ac Gallorum ſuperſtitione tradit, ab hodiernis etiam moribus noſtris parum aliena ſint.

§. LXIII. Igitur ſimpliciſſime dicemus ſecundum mentem Cæſaris, apud Gallos fuiſſe plebem & nobiles. Plebem conſtitiſſe ex ſervis. Nobiles fuiſſe vel Sacerdotes vel milites. Igitur iſta hominum tria genera, quæ apud omnes gentes deprehenduntur per dicta *§. 21.* Nobiles, ignobiles, ſervi, ſeu Magiſtratus, Patresfamilias, ſervi, etiam fuere deprehenſa apud Gallos. Servi agriculturæ aliisque officiis vilioribus operam dederunt. Equites militarunt, Sacerdotes, ſi Cæſari credendum, ſoli magiſtratuum functiones adminiſtrarunt. *vid. Caſ. d. l. 6. c. 16.* Igitur apud Gallos, uti apud omnes populos liberos, fuerunt ſervi & Domini, ſeu quilibet liberi cives, & hi vel milites, vel judices & ſacerdotes. Servos ipſos quidem ſeu plebem duplicis videtur facere generis, cum primo plebem in genere dicit ſervorum eſſe loco, deinde plerosq; ex plebe (ergo non omnes) eſſe ſervos. Sed vel videtur Cæſar non intellexiſſe ſatis diverſa ſervorum genera apud Gallos & Germanos, vel conciliari poſſe, ſi

*Vera mens Cæſaris. Ambacti, & Soldurii.*

ſub plebis voce accipias etiam libertos qui ut mox videbimus etiam poſt manumiſſionem apud Germanos magis ſervi, quam liberi erant, ac jura civitatis Germanicæ non acquirebant, & ad hanc claſſem etiam referas illos ambactos & clientes, quorum & ibidem Cæſar meminit. *Ambactum* Ennius referente Feſto Pompejo lingua Gallica ſervum ſignificare tradidit. Etiam nunc in Flandria & Brabantia item in Hollandia & conterminis regionibus dicitur ein Ambacht, quod illi quidem opificium intelligunt, ut opificem einen Ambachter. Ita Ottfridus in Evangelio ambachten pro operari. Cluver. *Germ. ant. lib. 1. c. 8. f. 54.* qui tamen poſtea *cap. 41. f. 277.* non accurate hos ambactos comparat cum clientibus antiquis Romanorum, qui ingenui & cives erant, cum ambacti hi potius eſſent ſervi, aut ſervorum loco liberti. Et ſic etiam intelligendus Diodorus *lib. 5.* ubi de Germanis ait, quod *miniſtros* liberæ conditionis *in bella ſecum ducant, ex egenis delectos, qui rhedariorum & propugnatorum officium eis præſtent.* Ergo milites hi revera ſervi aut ſervis propriores quam liberis fuerunt, & pacis tempore opificia exercuerunt. Quod ulterius illuſtratur, ſi quis conſideret, quæ Cæſar de Soldur iis tradit *l. 3. c. 22.* quorum hæc fuit conditio, ut omnibus in vita commodis cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderunt, ſed, ſi quid eis per vim accidat, aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. Vides hic deſcribi revera ſervos quosdam mercenarios a mancipiis parum differentes, quorum ſpes omnis a felicitate & infelicitate Dominorum ſuorum dependet. Ergo Soldurii cum Ambactis fere iidem: & non inepte Cluverius ab hac voce Germanorum Soldner & Soldaten deducit, vel potius Soldurios ab antiquo Germanorum Sold *d. l. 1. cap. 8. f. 55.* Magis huc pertinet, quod eodem *ibid.* notante Polybius lib. II. tradat, Gallos ſua lingua conductitios milites appellaſſe *Gaſatos*, qui certe nihil aliud ſunt, quam *Caſati* Germanorum, adhuc hodie noti, veri ſervi, ut poſtea videbimus.

*Doctrina Taciti de vicis Vet. Germano-*

§. LXIV. Relinquamus autem Cæſarem, & jam ad Tacitum progrediamur melius inſtructum de moribus Germanorum. Hic oſtendemus, Germanorum ſervos & liberos ſeu ingenuos ita diſtinctos fuiſſe, quod omnes ruſtici fuerint ſervi vel liberti, & liberti

beri tamen magis ſervi quam liberi, liberi vero & ingenui omnes nobiles ſeu cives reipublicæ liberæ, niſi quod ii qui magiſtratu vel militari vel bellico fungerentur, eminenter nobiles dicti fuerint. *rum & ædificiis.* Hoc autem ut eo melius intelligatur, ab initio id notantum eſt, quod ait Tacitus *cap. 16. Nullas Germanorum populis urbes habitari, ſatis notum eſt*, (quam ſententiam contra objectionem ex Cæſare & communem conciliationem bene defendit Cluverius *lib. 1. c. 13. f. 83. ſeq.*) *ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Colunt* (ſinguli patresfamilias agros) *diſcreti inter ſe* (multo agrorum intervallo) *ac diverſi* (etiam quoad habitationes eligendas) *ut* (nimirum huic) *fons, ut* (alii) *campus, ut* (rurſus alii) *nemus placuit.* (Quod uti plane a moribus urbanis diverſum eſt, cum Romæ & in aliis urbibus patresfamilias habeant junctas ædes vel certe parvo ſpatio inſulæ intermedio ſecretas, ita & adhuc aliud notabile eſt obſervandum,) *Vicos* (ipſos in quorum ſingulis ſinguli patresfamilias habitant) *locant* (i. e. collocant, neque enim loquitur de locatione conductione,) *non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis; ſuam* (non ſolum dominus ſed &) *quisque* (ſervorum) *domum ſpatio* (aliquo notabili & largo) *circumdat, ſive* (hoc faciant) *adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi*, (quod non eſt improbabile, quia adhuc hodie in multis magnis urbibus hæc inſcitia ædificandi apparet.) *Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum uſus* (ſed ſtraminibus domos tegunt) *Materia ad omnia utuntur* (ſervi potiſſimum) *informi, & citra ſpeciem ac delectationem*, (Tacitum hic loqui de materia ex qua hirundines nidos faciunt, Dreck und Leimen, non de ligno informi, ut exponit Cluverius d. l. p. 86. & in figuris paſſim ita delineari curavit, cuilibet patet.) *Quædam loca diligentius illinunt* (præprimis domini) *terra ita pura ac ſplendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur.* (Qua deſcriptione, an Tacitus argillam variorum colorum, ut vult Cluverius *d. c. 13. f. 88.* annon potius certam calcis ſpeciem intelligat, qua ad dealbandos parietes adhuc hodie utimur, alii viderint.)

§. LXV. Vides hic deſcribi domos antiquas dominorum, & caſas ſervorum, ſeu eorum, quos hodie vocare ſolemus nobiles & ruſticos. Unde ſimul patet, ad errata Cæſaris Cluverio præter- *Notatur Cluverius, aſſerens Germanos ſingu-*

*lis annis habitationem mutaſſe.* viſa, pertinere, quod dicit, & Cluverius ſequitur, *d. c. 13. ſ. 87.* ac ſi olim *non licuerit Germanis longius anno* remanere uno in loco incolendi cauſa, *lib. 4. & 6. de bello Gallico.* Etſi enim ædificia veterum Germanorum fuerint valde ſimplicia, prout & hodienum ſunt in vicis, iſta tamen deſcriptio, quam dat Tacitus, & quæ cum habitationibus ruſticorum noſtrorum valde eſt conveniens, oſtendit, non poſſe commode homines ita habitantes ſingulis annis locos mutare, & ſingulis annis de novo ædes extruere. Potius Cæſar non videtur commode intellexiſſe narrationem ipſi de agricultura Germanorum factam, uti pariter prave & ad mentem Cæſaris intelligunt interpretes Taciti, (etiam ipſe Cluverius, etſi locum Taciti poſt Lipſium *d. ſ. 87.* recte emendaverit,) quæ de agris Germanorum docet *cap. 26. Agri pro numero cultorum* (hoc eſt dominorum) *ab univerſis per vicos* (non *per vices* ut vulgo ſecundum errorem Cæſaris,) *occupantur* (h. e. ab univerſis quorum ſinguli ſingulos vicos inhabitant) *quos mox inter ſe ſecundum dignationem* (prout quisque vel nobilis vel plebejus) *partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva,* (quibus ſola ſeges imperatur ut ſtatim ſeipſum exponit Tacitus) *per annos mutant,* (hoc male eo trahit Cluverius poſt alios, acſi domus etiam per annos mutent, cum tamen reſpiciat Tacitus auf die Aecker die brache liegen) *&* (hac mutatione, qua plurimi agri per annos inculti jacent, non obſtante, tamen iis) *ſuper eſt ager,* (quæ omnia ſe aliter habebant apud Romanos. Quod autem ſuperſit ager non mirandum.) *Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt* (quemadmodum Romani) *ut pomaria conſerant* &c.

*De ſtrvitis Germanorum par aleam.* §. LXVI. His ita prænotatis, quod Germani non habuerint cives urbanos vel urbicos, ſed omnes vicanos ſeu campeſtres, facilius intelligemus, quæ poſtea de dominis & ſervis differit *cap. 24. & ſeq.* & ſimul rationem reddemus cur præcedenti loco Taciti de ædificiis, notas ibi poſitas interſperſerimus. *Aleam, quod mirere* (ſecundum mores Romanos qui poſt prandium vel ebrii faciebant & inter ludicra,) *ſobrii inter ſeria* (& quando de negotiis communibus deliberant) *exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu* (liberi, nam

nam ſervi de corpore, quod domini eſt, ludere nequeunt) *de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit, (&) quamvis junior, quamvis robuſtior*, (non reſiſtit tamen, ſed absque renitentia) *alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia* (ſecundum mores noſtros, quibus partim prohibitum eſt, ne quis liber ſe in ſervitutem alii vendere, multo minus per aleam, quæ interdicta eſt & nullam actionem vincenti dat, tradere poſſit. Aliud longe eſt apud Germanos. Cum enim illis non ſit prohibitum libertatem vendere, & alea ludere, hanc patientiam) *ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt*, (ſeu aliis Germanis vendunt, non enim credo, eos tales vendidiſſe facile hoſtibus aut exteris) *ut ſe quoque pudore victoriæ exſolvant.*

§. LXVII. *Cæteris ſervis* (in bello captis) *non in noſtrum morem De reliquis deſcriptis per familiam miniſteriis (vide ſupra §. 28.) utuntur* (talia enim *ſervis* miniſteria ipſi, tanquam gens barbara, apud quam nec tantus luxus eſt, non habent,) *Suam quisque ſedem* (in vico ab ædibus domini ſeparatam,) *ſuos penates* (incogitanter Tacitus *penates* Germanorum & hic immiſcet, & *cap. 15. num. 2. de legata domus & penatium, & agrorum cura feminis ſenibusque:* cum tamen ipſe *c. 9. n. 2.* docuerit aliter. *Cæterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humanioris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur) regit*, (id eſt, præeſt uxori & liberis, ac ſuum agrum a domino ipſi aſſignatum poſſidet. *Frumenti* (vel ex agris domini per operas parandi, vel ex agro proprio domino dandi) *modum Dominus* (ipſi ſervo dicit. Eadem eſt ratio) *aut pecoris aut veſtis.* (Nam & pecudes domini cuſtodit, prout dominus ſtatuerit, & veſtes domino facit, prout hic voluerit, vel de bonis propriis domino pecora aut veſtes donat ſecundum placitum domini. Qua in re ſervus Germanorum aliquo modo colonis Romanorum ſimilis eſt, dum iſta ſervo dominus) *ut colono injungit, & ſervus hactenus* (ſaltem) *paret*, (in reliquis autem negotiis ſuas actiones proprio ex arbitrio, ſi modo quod tempus ſupereſt, dirigit.) *Cætera domus officia* (culinaria & ſimilia, quoniam pauca ſunt & pro ſimplicitate gentis fere nulla) *uxor ad liberi exequuntur*.



Digitized by Google

*Illuſtrantur dicta ulterius ex Seneca & alio loco Taciti.*

§. LXIIX. Habes iterum in deſcriptione dominorum & ſervorum deſcriptionem nobilium ac Ruſticorum. Illuſtrat dicta Seneca *epiſtola 47. Variana clade, quam multos, ſplendidiſſime natos, ſenatorium per militiam auſpicantes gradum fortuna depreſſit, alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſæ* (id eſt ſervos apud Germanos) *fecit.* Huc pertinent etiam, quæ Tacitus paulo ante *cap. 20. n. 3.* dixerat. *Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas* (ut apud Romanos. Nam præterquam, quod, ut modo notaverat, ſua quemque mater uberibus alit, nec ancillis & nutricibus delegat, inſuper) *inter eadem pecora* (per diem ludunt, noctis tempore) *in eadem humo degunt* (non ſeparati videlicet cameris, ut apud Romanos. Neque enim credo, Germanos ingenuos inter pecora in ſtabulis cubaſſe, ut communiter intelligunt, etſi etiam depingi curavit Cluverius: Poſſes etiam forte non incommode illud: *in eadem humo degunt*, de converſatione diurna liberorum ingenuorum cum ſervis explicare, in hunc ſenſum. Des Junckern Kinder bringen ihre Zeit in der Jugend mit den Baur-Kindern unter dem Viehe zu, oder wühlen ſich mit ihnen den Tag über auf der Erden herum,) *donec ætas* (adultior) *ſeparet ingenuos* (a ſervis, ac bellica) *virtus agnoſcat* (vel omnibus agnoſcendum præbeat, magnam eſſe differentiam apud Germanos inter liberos & ſervos.)

*Poteſtas Germanorum in ſervos.*

§. LXIX. Quemadmodum autem ſervi Germanorum quoad miniſteria & acquiſitionem bonorum multum differebant a ſervis Romanorum, ita etiam differentia erat intuitu coërcitionis & poteſtatis in corpora ſervorum. Ita enim pergit Tacitus: *Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercere,* (quamvis liceat Dominis æque apud Germanos, quam Romanos, apud illos tamen partim, quod non ſint in una domo ſervi cum dominis, partim quod Germani ſint domini benigniores, partim quod ſervi ob ſimplicitatem vitæ non ad tantam nequitiam irritentur, valde eſt) *rarum.* (Quod jus vitæ & necis attinet, & illud habent Germani, quamvis & hoc ipſum rarius exerceant. Quippe) *occidere* (quidem) *ſolent* (quandoque ſervos: ſed hoc non faciunt ex animo deliberato uti apud Romanos moris erat: igitur id fit) *non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira ut inimicum,* (ſi forte objurgaverint, & ſervus verbis minus

Digitized by Google

minus humilibus aut ruſticis irritaverit dominum, aut etiam factis,) *niſi quod* (in hoc conveniant mores Germanorum cum moribus Romanorum & aliarum Gentium, quod dum ſervos interficiunt,) *impune* (faciant. Nam tempore Taciti nondum Antoninus Imperator dominis jus vitæ & necis ademerat.)

§. LXX. Videamus etiam libertos. Ita Tacitus: *Liberti non multum ſupra ſervos ſunt*, (ut adeo nec mereantur liberis hominibus adſcribi. Nam) *raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate* (peragunt. Sed in domo cum uxoribus & liberis curam agrorum domeſticorum gerunt, aut etiam frumenti modus aut pecoris ipſis a dominis, ut colonis injungitur, moderatius tamen quam ipſis ſervis; in civitate vero nunquam pro civibus habentur, aut in comitiis de negotiis communibus deliberant, ut iterum fallat Cluverius, qui *d. c. 15. p. 104.* liberos libertorum libertinos pro liberis fuiſſe habitos ſtatuit, magis ad mores Romanorum quam Germanorum.) *Exceptis duntaxat iis gentibus, quæ reguntur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles adſcendunt* (gratia principis, uti id etiam apud Romanos jam tempore Taciti frequenter acciderat,) *apud cæteros* (vero Germaniæ populos iſtis modo memoratis libertis) *impares libertini* (qui hic ſynonymice cum ipſis libertis ſumuntur,) *libertatis* (ſaltem) *argumentum* (vel umbra) *ſunt*. (ut olim apud Romanos liberti dedititii.) *Liberti Germanorum.*

§. LXXI. Quæ hactenus & de ſervis & de libertis Germanorum diximus ex Tacito, ſimul obiter docere poſſunt, quam in alienum plane ſenſum torqueant vulgo Tacitum interpretes. Ita enim poſt alios Alexander ab Alexandro *lib. 3. dier. Genial. c. 20. p. m. 775. Germanis verbere ſervum afficere, aut vinciis coercere habetur nefas*, (contrarium docet periphraſis noſtra *§. 69.*) *apud quos laxior ſervitus erat*, & hoc falſum eſſe docebit paraphraſis Taciti ſupra *§. 67.* ſi eam accurate conſideres: decepiſſe enim videntur Alexandrum verba Taciti ibi expoſita: *Et ſervus* hactenus *paret*. Quod ulterius patebit, ſi conditionem ruſticorum qui homines proprii ſunt compares ad conditionem ſervorum Romanorum,) *& libertinis pene pari*. (Libertinos Romanos intelligit Alexander. Ergo & hoc falſum. Modo enim oſtendimus ex Tacito, libertos *Notatur Alexander ab Alexandro.*

Ger-

Germanorum non eſſe liberos ſed ſervis pares, tantum abeſt ut ſervi Germanorum fuerint pares libertinis Romanis,) *quippe ſibi acquirunt ſervi* (at hoc non eſſe characterem libertatis docuimus *§.27.* & quod homines proprii acquirunt ſibi, illud nemo ſervorum Romanorum cuperet, ſi hac conditione libertatem talem acquirere deberet,) *& peculium habent*, (& peculia etiam habebant ſervi Romani.) Et tamen commentatores in iſtum locum Alexandri notant: Totum eum locum deſumtum eſſe ex Tacito de moribus Germanorum.

*Germanorum Nobiles, Reges, Principes, Comites, Plebs.*

§. LXXII. Erant ergo antiqui Germanorum ſervi pariter ac liberti, nihil aliud quam quos hodie agricolas & ruſticos appellamus, contra domini omnes, quos hodie nobiles dicimus, quod vel ex voce Juncker apparet, quæ antiquitus videtur filiis dominorum data quaſi domicellos dixeris. Nec eſt, quod opponas Taciti locum modo datum, ubi ingenui & nobiles ſecernuntur tanquam diverſi, quod &, ni fallor, alibi facit. Nam ad hoc facile reſponderi poteſt ex iis, quæ *§. 22.* diximus. Per nobiles enim intelligit duces bellicos & magiſtratus Germanorum jura reddentes, reliquos ingenuos plebis nomine appellat, in eo plane diverſus a Cæſare, qui magis apte ad mores Germanorum ſervos plebem dicebat, & equites hoc eſt milites quosvis quales erant omnes ingenui plebi opponebat. Ita multa Taciti loca lucem accipient. *Cap. 7.* dicit. *Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt. Nec regibus infinita & libera poteſtas, & duces exemplo potius quam imperio præſunt.* Cap. II. *De minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur.* Et paulo poſt, *mox rex vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur.* Et Cap. 12. *Eliguntur iisdem comitiis & principes, qui jura per pagos, vicosque reddunt. Certi* (ita enim legendum eſſe pro *centeni* erudite docuit Brummerus in erudito tractatu de ſcabinis,) *ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & autoritas adſunt.* Mox: Cap. 13. *Inſignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* (Confer quæ ſupra notavimus *§. 52.*) *Cæteris robuſtioribus ac jam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites adſpici.* Item: *Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.*

§. LXXIII.

§. LXXIII. Cogitabam & hæc loca periphraſi illuſtrare. Sed tempus monet, ut ad finem properem. Igitur illud ſaltem noto: Tacitus in denominandis non ſolum *nobilibus* & *plebe* magis ad ſtatum Romanum quam ad mores Germanorum reſpexit, ſed & eadem obſervatio facienda in voce *regis, principis, ducis, comitis*. *Regis* vox parum apta ad populum liberum & gentes, quæ *non reguntur*, ut ipſius verbis utar in *§. 70.* expoſitis. A Romanis etiam titulus Regis Germanorum & alibi ducibus datus, ut Arioviſto apud Cæſarem *lib. 1. c. 43.* Sumit regis vocem itaque ut ſynonymum principis, & principem vocat, qui jura reddit in pace. Regem duci quaſi præfert more Romanorum, ubi duces militares dependebant a Senatu. Nam apud Germanos etiam illo tempore ducum autoritas major videtur fuiſſe, quam magiſtratuum jura reddentium, qui poſtea Comites dicti. Per Comites intelligit Scabinos. Imo ipſos principes mox videtur cum ducibus miſcere, & comites, in jure reddendo principibus adſiſtentes cum comitibus ducum, vel plane etiam cum ambactis & ſolduriis. *Ubi notata quædam diſficultates in Tacito.*

§. LXXIV. Conſtitueram initio, abſoluta doctrina Taciti de ſervis Germanorum eorumque libertis ingenuis, nobilibus &c. etiam certas periodos ſubſequentium ſeculorum ad noſtra usque tempora percurrere atque oſtendere, an aliquam & quantam mutationem mores Germanorum circa liberos homines & ſervos paſſi fuerint. Jam cum præter intentionem meditationes noſtræ in fundamentis jaciendis nimis excreverint, atque anguſtia temporis non permittat, ea quæ reſtant eadem diligentia abſolvere, ne ſtatim filum hic plane abrumpam, ſaltem adhuc breviſſimis addam, qua methodo putem incedendum eſſe, ſi quis iſtam doctrinam, prout JCtum Germanum decet, velit perſpicue explicare, & poſtea obſervatiunculas quasdam rei præſenti inſervientes ſaltem ductis eum in finem primis lineis addam. *Cur abbreviata methodus in eis quæ dicenda reſtant exponitur.*

§. LXXV. Cum igitur ex hactenus dictis conſtet, in ſtatu Monarchico ſtatum ſervitutis & libertatis in quibusdam alterari ac diverſum eſſe a ſtatu eodem in Republica libera, inquirendum foret, an ſub initiis primi regni Francici etiam tale quid contigerit, antequam reges Francorum fidem Chriſtianam profiterentur, *Status liberorum & ſervorum, ſub initio Regni Francici.*

 & an

& an in aliis populis Germanis, aut qui ex Germania alias regiones Europæ occuparunt, & regno Franciæ non fuerunt ſubjecti illo tempore quid diverſum a moribus Francorum notabile occurrat.

*Sub primo Regum Franciæ Chriſtianiſmo.*

§. LXXVI. Tum pergendum eſſet ad periodum Regum Francorum a temporibus Clodovæi, qui primus Chriſtianæ religioni nomen dedit, ad tempora Caroli M. Hic oſtendendum foret, quam mutationem, non ubique in melius, illa Pſeudo-Chriſtiana religio, cujus directores erant Epiſcopi Papales, introduxerit in ſtatum etiam publicum, & qua ratione horum inſtinctu urbes in Germania originem ſumſerint, & quæ mutatio inde, per translatos in iſtas novas urbes libertos atque aulam regiam, non ingenuis ipſis & nobilibus eminentioribus in ſtatum libertatis & ſervitutis etiam, fuerit derivata. Ubi magnus dicendi campus ſe offeret, de ſtatu tertio Germanis hactenus incognito, civium urbanorum inter dominos & ſervos antiquos, ſeu nobiles & ruſticos quaſi intermedio, deque variis claſſibus civium urbanorum. Oſtendendum etiam eſſet, an ea mutatio affecerit etiam Saxones & alios Germaniæ populos, colla ſua jugo Papali huic non ſubjicientibus.

*Sub Carolo M. & regno Carolidarum.*

§. LXXVII. Tertio conſideranda eſſent tempora Caroli M. & ejus ſucceſſorum, & hic inquiſitionem mereretur, quanta incrementa ſub his imperatoribꝰ ſumſerit iſta mutatio ab Epiſcopis Germaniæ introducta, & quænam jura ſervorum & libertorum hic fuerint, Ducum item Germanorum, Comitum & Miſſorum Regiorum &c.

*His temporibus ſemper ſervos veros apud Germanos manſiſſe.*

§. LXXVIII. Uti autem hic plurima ſuppeditabunt partim Hiſtorici, qui vitam & res geſtas Regum Francorum deſcripſerunt, partim leges antiquæ Alemannorum Bojoariorum, Longobardorum &c. item Capitularia Regum Francorum & Codices Lindenbrogii, ac Baluzii, item Lehmanni Chronicon Spirenſe, varia item Conringii ſcripta, & diſſertationis Hertianæ de hominibus propriis primum caput, ac quæ Dominus Præſes in diſſert. de jure dandæ civitatis jam præoccupavit; ita tamen re ubique probe expenſa patebit, ſervos veros (etſi non Romanos) his temporibus Germanos in perſonis ruſticorum ſuorum retinuiſſe, atq; etiamſi illis temporibus inter ruſticos & liberti fuerint, ac diſtinctio inter ſervos caſatos & non caſatos ſeu gaſindos vel miniſteriales, item Fiſca-

Fiſcalinos, &c. obtinuerit, ac præterea, etſi in urbibus etiam opifices & caupones fuerint vel liberti, vel ſervilis conditionis; revera tamen neutros potuiſſe ex principiis juris Germanici ad claſſem hominum liberorum & nobilium ac civium referri, ſed hos omnes fuiſſe ſervos veros. Tantum abeſt, ut verum ſit, quod communiter aſſeritur, acſi per Carolum M. aut per doctrinam Chriſtianam ſervitus in Germania ſit abrogata, ut potius conſtet, nullos homines ſervos ſuos rudius tractaviſſe Epiſcopis.

§. LXXIX. Quarta periodus inchoanda eſſet a temporibus Henrici Aucupis ad tempora interregni. Cum enim hic Imperator ſub prætextu defendendi Germaniam contra irruptiones hoſtium, reipſa animo propriam potentiam ſtabiliendi, multas urbes potiſſimum in finibus Germaniæ conderet atque ad eas civibus implendas nonum quemque agricolarum i. e. ingenuorum ſeu nobilium ex agricultura viventium, cum ſervis ſuis in noviter extructis urbibus collocaret, easque multis privilegiis ornaret, & torneamenta publica ad exercendos nobiles in artibus militaribus inſtitueret, veroſimile eſt & hic ſtatus ruſticorum, & civium urbanorum, item nobilium valde fuiſſe alteratos. Et refert ad illam periodum Celeb. Hertius *de homin. propriis cap. ult.* originem miniſterialium inter nobiles qui libertatem ſuam regibus vendebant, horumque ſervi fiebant. Tantum vero abeſt, ut ſub hac periodo ſervitus ruſticorum aut bello captorum expiraverit, ut potius homines proprii, quorum apud ſcriptores hiſtoriarum Germaniæ frequentiſſima ſit mentio, & ſingula capita de eo, quod circa homines proprios juſtum fuerit, quæ in compendio exhibet diſſertatio Hertiana modo dicta *cap. 2. & 3.* oſtendant, non deſiiſſe ſervos Germanorum & homines proprios in eorum locum ſucceſſiſſe, ſed homines proprios eſſe ipſos ſervos Germanorum veros & antiquos. *Status liberorum & ſervorum a temporibus Henrici Aucupis ad tempora interregni.*

§. LXXX. A temporibus interregni ad tempora Maximiliani primi, hoc eſt a temporibus perpetuorum bellorum civilium in Germania ad tempora conſtitutionis de pace publica, non veroſimile eſt ſervitutem eſſe abrogatam. Etſi non ſit improbabile, diuturnus iſtis temporibus bellorum civilium invaluiſſe, ne amplius in his bellis capti ſervi fierent, ſed moribus introductum *Et inde ad tempora Maximiliani primi.*

 eſſe,

eſſe, ut lytro ſe redimerent, non tam ex pietate ac illa conſideratione, quod non deceat Chriſtianos, alios Chriſtianos in ſervitute detinere, quia hæc conſideratio nec ratione, nec ſcripturæ revelatione nititur, & quia magis ſecundum pietatis regulas conſiderandum fuiſſet, non decere Chriſtianos cum concivibus bella plerumque injuſta gerere; Sed ex aliis rationibus ſtatus & utilitatibus privatis, quia in bellis civilibus non poſſunt capti ob infinitas cauſas commode in ſervitute retineri & cuſtodiri. Et videtur commodius ad uſurpationem lytri der Rantzion accommodari poſſe, quod Tacitus *c. 24. de Mor. Germ.* de venditione ſervorum ex alea acquiſitorum dixit, tales ſervos fuiſſe venditos, (nos dicemus, ſervos bello ejusmodi captos fuiſſe lytro dimiſſos,) *ut ſe victores pudore victoriæ exſolverent.* Cæterum ſervos ſemel antea pro ſervis habitos illis temporibus in eodem ſtatu permanſiſſe, ac liberos homines diverſorum graduum fuiſſe in uſu docent compilationes Juris Alemannici & Saxonici, quæ ſæpius mentionem faciunt eigener und freyer Leute, Bauergülden, Pfleghafften, Laſſen, Zinßleute, Erb-Zinßleute, Bauren, Semperfreyen, Mittelfreyen, Schöpffenbarfreyen, Semperleute, &c. ubi multæ occaſiones ſe offerent, textus varios Juris Saxonici & Suevici ex Antiquitatibus Germanicis etiam poſt curam laudabilem Schilteri *in comment. ad Jus Feud. Alem.* noviter explicandi, præprimis cum Gloſſatores Juris Saxonici antiqui ineptiſſimis expoſitionibus juris Germanici ex Jure Romano omnia turbare inceperint, ut adeo qui ſanum ſenſum juris Germanici percipere velit, ante omnia textum legere debeat absque gloſſis, ut ſe præſervet a præjudiciis.

*Denique ab illo tempore ad tempora hodierna.*

§. LXXXI. Ultima periodus a tempore Maximiliani ad noſtra tempora ſuppeditabit varias obſervationes: Qualis confuſio per inſtitutionem Academiarum earumque multiplicationem ac profeſſionem Juris Romani in iisdem, & ſubſecutam introductionem ejus juris in fora Germaniæ etiam in doctrina de ſervis & liberis hominibus orta ſit & ad noſtra tempora propagata, quod docent Bonacoſſæ, Jacobini, Huſani tractatus de famulis & hominibus propriis, Stammi liber de ſervitute perſonali, Mevii Bedencken von Bauren, &c. Inde communes fabulæ, ruſticos & homi-

homines proprios eſſe liberos homines, ſervitutem eſſe inter Chriſtianos jam ab antiquo abrogatam, ſervitutem non conſiſtere poſſe cum religione Chriſtiana, & quæ ſunt ſimilia.

*Cluverii & Hachenbergii ſcripta de antiquitatibus Germaniæ.*

§. LXXXII. Vides, quæ & quanta dicenda reſtent, ſi quis doctrinam de ſervis & liberis hominibus ex moribus Germanorum, prout decet, exponere perſpicue velit, quod utinam obſervaſſent Philippus Cluverius *in Germania antiqua*, & Paulus Hachenbergius *in Germania Media*, ac mores diſtinctorum temporum ſeparaſſent, majorem utique lucem accendere potuiſſent antiquitatibus Germanicis. Nunc cum ille ſæpe miſceat mores Francorum cum moribus Germaniæ liberæ, hic mores variarum periodorum in unum cumulet acervum, ſæpe tenebris locum reliquerunt, ſæpe etiam ipſi rem obſcurarunt. Interim debetur his duumviris, & præprimis Philippo Cluverio, cujus labore præcipue uſus eſt Hachenbergius, laus primi tentaminis in re tam ardua, &, ſi modo judicium hic adhibere velimus, eorum collectanea ad multas meditationes curioſum animum perducent, quæ alias vel non veniſſent in mentem, vel adminiculis iſtis deſtitutæ difficiliores progreſſus feciſſent. Cum tamen in modo exhibito indice meditationum de liberis & ſervis Germanorum ſecundum ſex illas periodos, ne centeſimam partem obſervationum ad hoc caput pertinentium indicaverimus liceat ſpicilegii loco adhuc aliquot obſervationes addere, ſed promiſcuas & absque juſto ordine, & prolixis probationibus.

*Aldii. Liti.*

§. LXXXIII. Aldii & Aldiæ, item Aldionum vox ſæpe occurrit in legibus Longobardicis *vide Lindenbrogii & du Freſne Gloſſaria his vocibus*, quæ tamen ſi inſpicias, videbis variationes ſententiarum & dubius hærebis, an Aldii ſint liberti, an certum ſervorum genus. Præprimis ſi conſideres legem Longobard. lib. 3. tit. 20. *Aldiones vel Aldiæ ea Lege vivent in Italia, qua Fiſcalini vel Liti vivunt in Francia.* Fiſcalini enim ſpecies ſervorum ſunt, Liti ad libertos referuntur. Sed ſalva res eſt: Liberti enim apud Germanos non ſunt liberi, ut diximus, ſed a ſervis parum differunt. Aldius igitur de utroque prædicatur, quia videtur proprie ruſticum denotare. Ruſtici autem erant vel ſervi vel liberti. Aldea enim Hi-

 ſpanis

Digitized by Google

ſpanis vicus paganus eſt: *du Freſne voce Aldea.* Ita & ipſa vox Litorum der Leute eſt ambigua. Olim enim Liti denotabant plerumque ruſticos ſeu ſervos, & præprimis mercenarios, vel etiam libertos. Unde Liedlohn: Ita etiam Beſoldus *Op. Polit. lib. 3. p. 95.* „Leudes ſive „Leades, quidam homines ſervientes arme Leute ſervilis ſive potius „libertinæ conditionis dicebantur, (namque in *legis Ripuariæ cap. 62.* „ſervum tributario aut Lito opponi videmus) Nobiles vero ſpe-„cialiter Man, ſive Manne, hoc eſt viri indigitabantur &c. Et ite-„rum *lib. 4. Op. Polit. p. 25.* Reineccius ordines civium ita diſtinguit: „Nobiles, Liberi, Liti, Servi. Litos Leute, arme Leute, pro libertis „ponit, eosque in Legibus Bojaricis Frilaſios, Freygelaſſene indi-„gitari ait. Arme Leut vero denominantur non a paupertate, ſed „manu ſeu brachio, h. e. poteſtate, inde Galli dicunt de main „morte. *Vid. Lehmann. f. 355. & Wehner. voc.* Arm, Armſeey. Ita & Tur-„cæ habent ſuos Laſſos. *Budovvez in circul. fol. 169.* De ſervis „Germanorum vide omnino poſt alios ibi laudatos Reineccium „*ad Poët. anon. de geſtis Caroli M. f. 59. b.* Goldaſt. *in not. ad Paræn t.* „*vet. f. 4333. add.* Iſaac. Pontan. *l. 6. orig. Franc. c. 15.* Mager. *de clien-„tela armata cap. 6. n. 929. ſeq.* Et de differentia der Leibeigen und „Knechtſchafft vid. Sebaſtian. Francken Kayſer Cronick *f. m. 241.* & „*f. 238.* ubi de bello ruſticorum. Hactenus Beſoldus, qui plura huc pertinentia ibid. adducit. Ejus tamen omnia mea non facio, & cogitandum ulterius de ejus derivatione der armen Leute. Hodie certe videtur vox der Leute latius ſumi, quam antiquitus. Nam per Leute denotantur fere omnes ſubditi, & ejus ſynonymum latine ſunt homines, unde homagium. Videtur tamen hæc extenſio magis ex confuſione antiquitatum Germanicarum cum Romanis quam de jure fieri. Homines enim & Vaſalli revera videntur differre, ut Liberti & ingenui ſeu nobiles: Effectum illius confuſionis videmus in quæſtione de differentia homagii & vaſallagii, ubi mire ſe torquent Doctores communiter.

*Operæ determinatæ & indeterminatæ.*

§. LXXXIV. De operis ruſticorum, quæ tradunt JCti noſtri ob admixtionem textuum juris Romani plerumque non bene cohærent *(conf. Beſold. d. l. 4. p. 26. & 27.)* Inter varias diviſiones etiam eſt illa operarum in determinatas & indeterminatas, gemeſſe-

ne

ne und ungemeſſene Dienſte. Et variæ de utrisque diſceptationes ſolent occurrere, in utramque partem diſputabiles, ob incertitudinem juris, quo utimur. Si non obliti eſſemus morum antiquorum de differentia ſervorum & libertorum, forte & hic poſſemus habere clavem aperiendi illas difficultates. Ruſtici ſervi præſtare debent operas indeterminatas, & tales, credo, præſtabunt adhuc hodie, ubi pro hominibus propriis habentur. Liberti vero ex ruſticis præſtant determinatas, ſcilicet tantas, quantas ipſis dominus tempore manumiſſionis impoſuit, & tum conventum eſt. Non obſtant ea, quæ diſſerit Lehmann. Chron. Spir. *l. 2. c. 20. p. 97. ex capit. Caroli M. l. 5. c. 151.* Vel enim ea reſtringenda ſunt ad ſervos regios & Eccleſiaſticos, ut de quibus expreſſe capitulum loquitur, vel dicendum, iſtam conſtitutionem Caroli M. non diu fuiſſe obſervatam. *Conf. leges Bajoar. tit. 1. c. 14.* Illis locis igitur, ubi ruſtici amplius pro hominibus propriis non habentur, errore opinionis inducta eſt illa confuſio difficultates pariens in cognoſcenda determinatione operarum.

§. LXXXV. Sed Liberti Germanorum non ſemper per contractum manumiſſionis ad operas præſtandas erant obligati. Sæpius bona ipſis pro certo cenſu locabantur vel ad tempus, vel in perpetuum pro illo cenſu dabantur in feudum. Cenſus autem olim raro in pecunia numerata conſiſtebat, ſæpe in præſtationibus eſculentorum variorum. Priora bona dicuntur locata, & ſecundum pleroſque Laß-Güter (quamvis ego putem Laß-Güter eſſe nomen generis & de utrisque prædicari, quia utraque ſunt bona der laſſen oder freylaſſen, libertorum,) poſteriora cenſitica, (quamvis & hoc nomen deberet forte rectius etiam de bonis prioris generis prædicari.) Stilo juris Germanici, priora dicuntur Zinß-Güter, poſteriora Erb-Zinß-Güter. Textus eam in rem eſt perſpicuus in Jure Saxonico Landrecht *lib. 1. art. 54. junct. l. 2. art. 53. & 59.* Quod cum ex jure Romano explicare vellent noſtri JCti, diſtinxerunt inter bona emphyteutica & cenſitica, & diſtinctione ad mores Germanorum non pertinente ita turbarunt Jurisprudentiam Germanicam, ut nihil intelligas. Neſciunt enim aut fluctuant in differentia inter hæc duo bonorum genera aſſignanda, quæ quadret

Zinß-Güter. Erb-Zinß-Güter.

dret etiam ad textus juris Germanici, nec conſentiunt, quænam bona pro emphyteuticis ſint habenda, utrum Zinß⸗Güter an Erb⸗Zinß⸗Güter. *Conſ. quoad hunc paragraphum Seckend.* Fürſten⸗Staat *P. III. c. 2. n. 5. p. 344. ſeq.* Inquirendum etiam eſſet: annon hæc Erb⸗Zinß⸗Güter ſint eadem cum Bauren⸗Lehn, Schupff⸗Lehn, (de quibus conf. Beſold. *d. l. 4. §. 24.*) quod puto. Nam non credo, homines proprios bona ſua in feudum accipere a dominis ſuis.

*Jurisdictio patrimonialis nobilium.*

§. LXXXVI. Porro videtur jurisdictio patrimonialis nobilium in ruſticos nihil aliud eſſe revera quam antiqua illa poteſtas dominorum in ſervos ſeu homines proprios & libertos parum a ſervis differentes. Cum enim JCti Romani ſibi erronee perſuaderent, ſervitutem eſſe abrogatam in Germania, & intricatiſſimam illam jurisdictionis Romanæ materiam, contorta applicatione ad mores Germanorum magis intricatam redderent, poteſtatem illam dominicam mutarunt in jurisdictionem patrimonialem, juri Romano incognitam & moribus Germanorum inauditam.

*Homines proprii cur hodie non ubique.*

§. LXXXVII. Dantur hodie in multis locis Germaniæ Homines proprii, in multis ignorantur. Quænam ratio diverſitatis? Videtur, quod in illis provinciis & territoriis ubi primum Academiæ florere inceperunt, ruſtici ex hominibus propriis per Profeſſores juris in homines liberos ſtatim promoti fuerint, in iis autem locis, ubi tardiſſime Academiæ ſunt introductæ, jus Germanicum, & cum eo homines proprios fuiſſe conſervatos. Cogitandum tamen ulterius.

*Scabinatus, Facultates Juridicæ.*

§. LXXXIIX. Imo videtur jam ab antiquiſſimo tempore magnam æmulationem ex eadem cauſa fuiſſe inter Scabinatus & Facultates Juridicas. Scabinatus olim (nam hodie & Scabinatus per Doctores juris Romani magna ex parte corrupti ſunt) allaborant cuſtodire mores Germanorum, Facultates Juridicæ contra introducere in forum ſuum jus Juſtinianeum. Teſtantur prius, præter alia infinita ſententiæ veterum Scabinorum Magdeburgenſium additæ ſpeculo Saxonico, & volumina ſententiarum, quæ Beatus edidit. Teſtatur id æmulatio antiqua Scabinorum Lipſienſium, qua, ut notum eſt, aliquando Doctores juris ex Senatu & Scabinatu ejecti ſunt. Teſtantur diſſenſiones frequentes ſubſequen-

quentium temporum inter Scabinos Lipſienſes & Facultatem Juridicam, unde deciſiones Saxonicæ ortum duxerunt &c. *Confer quo ad hunc Paragraphum D. Andreæ Ockelii, Ampliſſimi in hac urbe Conſulis, eruditum tractatum de Scabinatu Hallenſi. Ubi in adjunctis ſub lit. E. p. 183.* deprehendes Scabinos *ann. 1450.* petiiſſe: Sie bey alter Freyheitt und guter Gewonheit zu laſſen.

§. LXXXIX. Uti veroſimile eſt, ſecundum ea quæ Dominus Præſes docuit *de jure dandæ civitatis*, Epiſcopos Germaniæ primam occaſionem urbium condendarum Germanis dediſſe, & libertos in urbibus poſuiſſe, ita urbis differentia a vico potiſſimum in tribus capitibus videtur conſtitiſſe, in opificibus, arte cauponandi & mercatura. Et mercatura quidem non ſtatim ab initio floruiſſe, ſed pedetentim ſe Germaniæ inſinuaſſe videtur. Igitur remanent priores duæ differentiæ. Huc pertinent privilegia ab Henrico Aucupe urbibus data, quod omnes feſtivitates & convivia debeant in urbibus celebrari. Non tamen diffitendum, ubi mercatura & manufacturæ florent, ibi etiam florere opificia & artem cauponandi. Ex illis differentiis etiam deducendæ ſunt multiplices lites hodiernæ inter civitates & civos de jure braxandi & de opificibus in vicis degentibus. Prudenter tamen obſervavit Illuſtris Seckendorffius in Addit. ad Fürſten-Staat *p. 174. 175.* litigia illa ceſſare, ſi in urbibus ſit frequentia hominum & multa occaſio laborandi, ibi enim opifices alias in vico pagano degentes invenire media ſe ſuſtentandi in urbe, & cives urbicos non invidere pagis braxationem. *Differentia inter urbes & vicos.*

§. XC. Opifices veroſimiliter ſervi vel certe ſervilis conditionis videntur fuiſſe, id eſt liberti, adeoque olim non tam cives erant, quam incolæ. *Vid. Baluzii Capitul. Tom. II. f. 79. 90. 290. Beſold. lib. 4. op. Polit. p. 38. 40. 86.* Inde nobiles i. e. ingenui nobilitatem ſuam amittunt, ſi opificia exerceant. *Beſ. ibid. p. 112. 114.* Inde eſt quod hæc artificia ſint artes illiberales i. e. liberis non dignæ. Et ita intellige, quod alibi notat Beſoldus *p. 24.* Henricum Aucupem diſtinxiſſe plebem ruſticam ab urbana, & iſtos appellaſſe Bauren hos Bürger a Burgis. Videtur enim olim vox Bürger non denotaſſe ſemper hominem liberum. Unde & qui in quibusdam locis dicuntur Bauermeiſter, alibi vocantur Burgermeiſter, forte quod inter urbes minores & magnos vicos parva ſit differentia. *Opifices ſervilis conditionis.*

*Mercatura.* §. XCI. Mercatura an obſtet nobilitati, dum JCti noſtri quærunt, plerumque impertinenter definire ſolent ex legibus Romanis, aut moribus aliarum gentium. *vid. Beſold. d. l. 4. p. 113.* Ex antiquitatibus Germanicis autem patet, non eſſe mirandum, quod Nobiles abhorreant a mercatura, cum & mercatura primis urbibus conditis fuerit negotium ſervile ſervorum ſeu libertorum, *Conf. diſſert. Dn. Præſid. de jure dand. civit §. 31.*

*Judæi ſervilis conditionis.* §. XCII. Pertinet etiam ad præſentem doctrinam inquiſitio de Judæis, qui etſi non ſint mancipia, haud dubie tamen adhuc hodie ſunt ſervilis conditionis, cum nulla liberalia negotia illis exercere permittatur, imo ne quidem illiberalia. Nam nec agros colere nec opificia exercere illis permittitur, ſed ſolum mercaturam. Hinc etiam Fiſcalini ſervi Cameræ Imperatoris vocantur in legibus publicis. Hodie autem, cum Status Imperii jure recipiendi Judæos vi ſuperioritatis territorialis adeoque jure ſuo utantur, dicendum eſt, eos eſſe ſervos non amplius ſolius Imperatoris, ſed ſingulorum Statuum, ſub quibus ſunt. Conf. de Judæis Beſold. *op. Polit. lib. 4. p. 47. ſeq.*

*Nobiles. Patricii.* §. XCIII. Ergo cum opifices, caupones, & mercatores quoad primam originem ſint cives ſervilis conditionis, veroſimile eſt valde, nobiles, quibus etiam placuit habitare in urbibus, præprimis cum Reges Francorum ibi Palatia ſua extruerent, fuiſſe cives non ſolum honoratiores, ſed & regendis civibus inferioribus ſervilis conditionis fuiſſe præpoſitos. Hinc differentia inter Freybürger und ſchlechte Bürger. *Beſ. d. l. 4. p. 38.* Sed Henricus Auceps conſtituit legem, ut ex vicis circumjacentibus nonus noviter extructas urbes incoleret, & a reliquis octo ſuſtentetur, quos nonarios non intelligo de ruſticis, ut communiter video exponi, ſed de ipſis nobilibus ſeu ingenuis. Porro cum & juberet plebem urbanam exerceri in arte militari, & hos ſi fortiter ſe geſſiſſent poſtea nobilibus in gubernandis urbibus exæquaret: inde videtur nota eſſe differentia inter Patricios & Plebejos cives, item inter Nobiles in pagis vel aula & Patricios. Etſi enim in multis urbibus adhuc hodie Patricii antiquiſſima ingenuitate ſint conſpicui, quia tamen per illam legem Henrici liberti Patriciis hinc inde immixti ſunt, inde videtur, æmulationem illam inter Patricios & Nobiles alios or-

tam & propagatam eſſe. *Conf. Draco de orig. Patric. lib. 3. cap. 1. Beſold. d. l. 4. p. 78.*

§. XCIV. Uti igitur olim militia ex lege Henrici nobilitabat, tanquam ars liberalis unica veterum Germanorum, ita ſucceſſu temporis etiam mercatura cives inferioris ordinis ex hac claſſe exemit, & in claſſem der Freybürger, qui ad officia magiſtratuum urbicorum admitterentur, & quibus etiam liceret acquirere feuda nobilia, tranſtulit. Quod videtur potiſſimum factum eſſe tempore fœderis Hanſeatici, ob divitias exinde profluentem potentiam mercatorum. Habes ſimul cauſam auctæ æmulationis inter nobiles & mercatores. Doctores vero in Urbibus cur non pro hominibus ſervilis conditionis unquam ſint habiti, ſed pro ingenuis, non tam ex eo eſt, quod olim nobiliores ex ingenuis doctoralem gradum aſſumerent, ſed quod dignitas doctoralis ſit dignitas clericalis. Jam uti clerus ſecundum principia papalia eminet etiam ſuper ingenuitatem (der Lehrſtand iſt über den Wehrſtand, h. e. ingenuos & nobiles, und Nehrſtand, h. e. plebejos & ſervilis conditionis,) & Clerus jam olim ſumma officia aulica in Imperio ut Cancellariatuum, &c. adminiſtravit, hinc inconveniens erat, doctores, poſtquam etiam homines plebeji ad has dignitates admitterentur, eſſe debere deterioris conditionis, quam alii ingenui eſſent. Ergo poſtea & doctura æque nobilitavit, i. e. ingenuitatem tribuit, ac olim militia, etſi uti perpetuo inter clerum & milites Germanos fuit æmulatio, illa etiam poſtea continuata ſit inter Nobiles ſimpliciter ſic dictos & Doctores. Adde, quod in Academiis docentur ſaltem artes liberales, & eo ipſo, quo quis ſtudioſus fit, effrenis libertatis per artes Clericales fit particeps, tantum abeſt, ut Doctor plebejus eſſe poſſit. Soli igitur opifices & caupones manſere plebeji, ignobiles, ſervilis conditionis, nec moribus communibus Germaniæ admiſſi ſunt ad gubernacula civitatum, niſi in minoribus urbibus a vivis vix differentibus, da der Bürgermeiſter die Miſtgabel ans Rathhaus lehnt. Ubi enim opifices in majoribus urbibus pars ſenatus ſunt, ibi plerumque, ſi non ſemper, ſpecialis ſubeſt origo, vel tumultus alicujus, vel ſpecialis gratiæ ab Imperatoribus impetratæ, vel ſimilis.

*Mercatores ex ſervili conditione tranſlati in nobilem ſeu ingenuam.*

*Doctorum conditio ingenua & nobilis.*

§. XCV. Gubernatæ autem ſunt civitates olim per miſſos Regios ſeu Comites, ſenatores iis additi Scabini dicebantur. Unde jam

*Schöppenbaarfreye Leute.*

jam facile patet, quinam ſint Schöppenbaarfreye Leute, & cur hi æque debuerint libertatem ſuam deducere a majoribus uti alii nobiles. Occurrit eorum mentio in jure Germanico paſſim. Ut in Land-recht *lib. 1. art. 51. 67. l. 2. art. 3. 42. lib. 3. art. 19. 26. 29. 45. 54. 55. 73. 81.* De Scabinorum ingenuitate ſeu nobilitate *vide Brummerum de Scabinis. cap. 7. D. Ockel de Scabinatu Hallenſi th. 82. p. 75. ſeq. & in adjunctis p. 86. n. 3. Beſold. lib. V. p. 203.* Occurit etiam iſta libertatis Germanicæ ſpecies in controverſia ſuperioris ſeculi publice ventilata & nondum finita inter Comites Bentheim, ubi cum objiceretur inter alia Comitiſſæ, quod ſit nata ex plebejis parentibus, pro defenſione illius allatum eſt teſtimonium, quod ſit nata von Schöppenbaar freyen Leuten.

*Barones*, freye Herrn. *Miniſteriales*, Edelknechte.

§. XCVI. Cum & Nobiles poſtea ſe in miniſterium regum & principum traderent, ac libertatem ſuam venderent, ut docuit Dn. Hertius *de hominibus propriis Sect. ultim.* ac inde Baronum ſeu liberorum Dominorum der freyen Herren titulus iis daretur, qui miniſteriales non eſſent, ac pariter termini militares der Ritter und Edelknechte inciperet in uſu eſſe, varia tamen adhuc inquirenda reſtant. Quibus de cauſis allicerentur nobiles, ut libertatem ſuam venderent, an ex neceſſitate, an ex ambitione, item cur hodie Nobiles a ſervitiis aulicis abſtinentes & libertatem ſuam retinentes cenſeantur eſſe deterioris conditionis quam illi, qui in aulis ſerviunt? &c. An exinde id provenit, quod ſubditi Principum hodie minorem libertatem habeant, quam olim? Nam quo magis ſubditi in republica libertate gaudent, eo magis contemnere ſolent miniſteriales Principum, at quo majores vires Monarchia ſumit, eo majori in dignitate ſunt Miniſteriales Principum & contemnere ſolent remotos ab aula. Huc petinet Æneæ Sylvii Epiſtola de Miſeria Curialium. De Baronibus plura vide *ap. Beſold. lib. 3. p. 94. ſeq.*

Semperfreyen, Mittelfreyen, freye Landſaſſen, Semperleute.

§. XCVII. In Jure Feudali Alemannico ſtatim ab initio fit mentio der Semperfreyen und Mittelfreyen, quibus adduntur tanquam tertia ſpecies in Jure Provinciali Alemannico *c. 47.* die freyen Landſaſſen. *Conf. Beſold. d. l. 3. p. 98.* Nondum perſpicuum eſt, quid velint illæ tres libertatis ſpecies, neque plane ſatisfaciunt quæ tradit Dn. Schilterus *ad cap. 1. Jur. Feud. Alemann.* Nam in *d. c. 1.* die Semperfreyen contradiſtinguuntur Principibus, ſed in *d. c. 47. juris provincialis*

*cialis* exponuntur die Semperfreyen de Principibus. Forte ſic dicendum. Semperfreyen ſunt Duces, Comites, & Barones modo dicti. Horum enim omnium eſt ſumma poſt regem libertas in regno Germaniæ, etſi ſæpe vox der Semperfreyen ſimpliciter poſita denotaverit claſſem horum infimam, i. e. Nobiles ſtricte ſic dictos miniſterialibus oppoſitos, die Ritterſchafft. Mittelfreyen videntur eſſe die Schöppenbaarfreyen, propter dicta *§. 93. 94. 95.* Die freyen Landſaſſen videntur eſſe liberti, qui in d. c. 1. Juris Feudalis dicuntur Semperleute, & opponuntur den Bauren. Unde & hodie die Frey-Güter die doch nicht adelich ſind, oder die Zinß-Güter.

§. XCVIII. Neque poteris caput de militia Germanorum accurate cognoſcere, niſi probe intellecta doctrina de liberis & ſervis. Nam uti nobilis & ingenuus apud Germanos ſynonyma fuerunt, ita etiam videntur Miles, Eques, Nobiles fuiſſe ſynonyma, unde & Gallorum Chevalier, cum olim ſoli Nobiles equitatu militaverint, uti & adhuc hodie, quamvis hodie non ipſimet ſoleant militare ſine mercede, ſed equitem ſuo loco mittere. Meretur autem Militia Germanorum ut ejus origo, progreſſus, ac mutatio militiæ ſelectæ in mercenariam exponantur. Tempore Taciti Germani peditatu prævalebant. Huc pertinent termini: Ritter und Knechte (qui non ſemper videntur denotaſſe Edel-Knechte) Pferde, Spieſe, Söldner, Fuß-Knechte, Landsknechte. *Vide Beſold. lib. 3. p. 113. 137. lib. 4. p. 74. ſeqq. lib. 11. p. 13. 14. 15. ſeq. it. p. 32.* *Militia Germanorum.*

§. XCIX. Imo tota doctrina juris feudalis Germanici a diviſione in liberos & ſervos dependet. Etſi enim in Germania etiam prædia civium burgenſium & cenſitica per inveſtituram concedantur, & feuda appellentur, ſæpe tamen in jure feudali Alemannico dicitur, quod qui non ſint Equites, die nicht Ritter-Art ſind, die haben nicht Lehnrecht. Ergo jus Feudale Alemannicum eſt jus de bonis ingenuorum. Bona vero libertorum ſeu burgenſium & ruſticorum non videntur eſſe allodia, ſed bona cenſitica, Bürger und Bauren-Lehn, & allodii nomine videntur olim veniſſe bona mobilia nobilium. Intelligo autem tempora poſt familiam Carolidarum extinctam. Unde falſum, jure Germanico bona nobilium immobilia præſumi allodialia. Et ridiculum, quærere, an ruſticus poſſit feudum, de cujus eſſentia ſit fidelitas, concedere, *Feuda Germanica.*

 quod

quod tamen communiter magis ridicule affirmare ſolemus, cum vel ſolum *cap. 1. Jur. Feud. Alemannici* oſtendat contrarium. Sed in jure feudali nulla fere propoſitio eſt, quæ cohæreat accurate cum moribus Germanorum, quia videlicet jus Feudale Alemannicum occultavimus & æque infeliciter torſimus jus Feudale Longobardicum ſeu mores Italorum ad mores Germanos, uti in jure privato cum legibus Romanis factum eſt. Non ſequitur: Feuda multa a nobilibus ſubinde ſunt principibus oblata, ergo antea fuere allodia. Fuerunt potius feuda immediata imperii, in turbis ab imperio avulſa. Vellem mihi duo oſtendi in tabulis geographicis Germaniæ modernæ. 1. Ubi ſita ſint Allodia Germaniæ? 2. Ubi ſitum ſit Imperium, quod territoriis ſtatuum opponitur in vulgari axiomate: quod ſtatus ea poſſint in territoriis, quæ Imperator in Imperio.

*[V]enatio Germanica.* §. C. Ineptimus etiam, dum quærimus, qui factum ſit & fieri potuerit, ut venatio, quæ tamen ſit modus acquirendi ſingulis competentes jure Gentium, in Germania ſingulis ademta ſit. Nam credo, apud Romanos & alios populos ſervos non habuiſſe jus venandi. In Germania autem ruſtici & cives burgenſes ſunt quoad originem ſervi & liberti, quos docuimus eſſe ſervilis conditionis magis quam liberæ. Nobiles autem ſeu ingenui, in Germania regulariter jus venandi cum feudis acceperunt. Apud Germanos etiam jam tempore Taciti venatio erat una cum militia ars maxime liberalis, contra apud Romanos accenſebatur illiberalibus, unde non mirum, quod viliſſimi ex plebe eam etiam exercuerint. Inde etiam eſt, quod perpetuo in Germania Reges & Principes præcipuum quid ſibi reſervaverint in jure venandi. Et falſum eſt, quod Heigius putat, diſtinctionem in hohe und nieder Jagten eſſe inventum novum ante duo ſecula incognitum. Contrarium erudite oſtendit D. Ockel *de Scabinatu Hallenſi th. 60. ſeq.*

*[U]ſu dictorum* §. CI. Sed quem uſum habent obſoleta hæc, & antiquata, quæ hactenus attulimus? Equidem multum, ut oſtendimus. Ut tandem incipiamus ea connectere, quæ ubique adhuc in uſu ſunt, & in Academiis ea docere & diſcere, quæ in praxi non ſunt obſoleta. Ipſæ leges imperii inculcant, debere Aſſeſſores Cameræ gnares eſſe morum Germaniæ. Ita ordin. Cam. *P. 1. tit. 3. §. 1.* daß ſie aus teutſcher Nation gebohren, und derſelben Nation gebräuche, und guten gewohnheiten

heiten erfahren ꝛc. Jam quid putas? poſtquam Mynſingerus, Gailius, Stammius ipſi aſſeſſores Cameræ & alii magno conatu in ſcriptis ſuis contorſione legum Romanarum & juris Feudalis Longobardici ad mores Germaniæ hos obſcurarunt & obſoletos efficere, quamvis fruſtra, intenderunt. Non tamen origo mali aſſeſſoribus Cameræ adſcribenda. Noſtrum hoc vitium eſt. Primi Profeſſores Academiarum Germaniæ Itali erant. Hi ignorabant mores Germanorum. Profitebantur Jus Civile & Canonicum. Dedecori ſibi putabant ea docere, quæ ſcirent omnes cives. Docebant igitur, quæ omnes neſciebant, peregrina jura. Poſtea in judicia Germaniæ & ipſam Cameram allecti, vel Profeſſores, vel eorum diſcipuli peregrino hoc jure ſuo obliterare intendebant mores Germaniæ & exterminare e foro. Id cum efficere non poſſent, effecerunt, quod poterant, hoc eſt, ut nunc omnes ignoremus mores patrios. Speramus tamen meliora. Emendationis origo ex Academiis incipere debet, unde origo erroris. Si tam diligenter incipiemus commentari in jura Alemannica & Saxonica &, ut hactenus commentati ſumus in Jus Romanum, lux orietur ex tenebris. Facem accendit Schilterus. Sed adhuc diluculum eſt. Horum aliorumque paucorum Virorum Celeberrimorum, ſi exempla ſequamur, mox orietur dies. Tum demum, qui hactenus creavimus Doctores juris Romani & Canonici, creabimus Doctores Juris Germanici. Jam creare non poſſumus, quia omnes vel ſumus ejus ignariſſimi, vel certe tyrones. Conjecturas nunc ſcribimus, ſcribemus aliquando doctrinas.

## CONSPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS.

*Occaſio diſſertationis* §. I. *Cur conjecturas ſcribat autor* §. II. *De quibus perſonis hic agendum*, §. III. *& quidem ſecundum mores Germanorum* §. IV. *& libellum Taciti* §. V. *Cautelæ de intellectu & interpretatione Taciti* §. VI. *Exempla. De agricultura Germanorum.* §. VII. *De eorum otio* §. VIII. *De eorum vinolentia & ebrioſitate*, §. IX. *quæ cum laudata eorum caſtitate minime convenit.* §. X. *Vinolentia Germanorum non ens.* §. XI. *Conſulatio in conviviis a nota liberata.* §. XII. *Fons erroris Taciti de ebrietate veterum Germanorum.* §. XIII. *Cautio in lectione aliorum Hiſtoricorum Germaniæ adhibenda* §. XIV. *Doctrina de ſervis & ingenuis non ex jure Romano, ſed a prima origine*

*gine petenda.* §. XV. *Servitus omnis Caino ortum debet.* §. XVI. *Geneſis Reipublicæ Cainiticæ, ejus origo ex odio & metu proborum.* §. XVII. *Imperantes & ſubditi in Rep. Cainitica* §. XVIII. *Origo diviſionis hominum in nobiles & ignobiles.* §. XIX. *Origo diſtinctionis hominum in liberos & ſervos* §. XX. *Comparatio utriusque diviſionis. Tria hominum genera: Nobiles, ignobiles, ſervi.* §. XXI. *Origo diviſionis nobilium in ſuperiores & inferiores* §. XXII. *Differentia inter ſervos mercenarios & mancipia,* §. XXIII. *non eſt quærenda in conventione vel captivitate,* §. XXIV. *neque in jure vitæ & necis,* §. XXV. *neque in poteſtate coërcendi arctiore, & laxiore.* §. XXVI. *neque in acquiſitione Dominorum per ſervos,* §. XXVII. *neque in eminentia dignitatis,* §. XXVIII. *neque in libertate actionum,* §. XXIX. *ſed in ſola proprietate, & quod mancipia rebus accenſeantur,* §. XXX. *unde & reliquæ differentiæ profluunt.* §. XXXI. *Obſcuritas in voce libertatis & liberorum hominum.* §. XXXII. *Obſcuritas doctrinæ de libero arbitrio.* §. XXXIII. *Obſcuritas definitiones libertatis in jure.* §. XXXIV. *Subditi ſervi ſecundum jus Regium Hebræorum.* §. XXXV. *Nulla diſtinctio inter tyrannidem & regnum.* §. XXXVI. *Nec inter dominatum & imperium civile.* §. XXXVII. *Adulatio & diſſimulatio fons hujus diſtinctionis.* §. XXXVIII. *Exempla incerta Imperii deſpotici. Populi barbari & moratiores* §. XXXIX. *Quid libertas, quid ſervitus?* §. XL. *Quis liber, quis ſervus in familia.* §. XLI. *Patresfamilias in collegiis & univerſitatibus cur liberi maneant.* §. XLII. *Cives liberi in libera Republ. ſubditi an liberi in Ariſtocratia?* §. XLIII. *In Monarchia Princeps Dominus, ſubditi ſervi* §. XLIV. *Comparatio Dominii & ſervitutis civilis, cum familiari, patrisfamilias & patris patriæ.* §. XLV. *Diſtinctio ſubtilis inter Monarchiam deſpoticam & non deſpoticam.* §. XLVI. *Liberatur doctrina noſtra a ſuſpicione adulationis & Machiavelliſmi.* §. XLVII. *Oſtenditur fons erroris in ſententia communi de libertate ſubditorum in monarchia.* §. XLVIII. *Servi domeſtici principis, & horum comparatio ad ſervos ſubditorum, & ſubditos reliquos.* §. XLIX. *Senatus in Republica antiquitus ex ſenibus conſtitit. Veneratio ſenum naturalis. Comparatio Prudentiæ & eruditionis.* §. L. *Comparatio Monarchiæ cum aliis rerumpublicarum ſpeciebus quoad venerationem ſenum.* §. LI. *Nobilitatis ad liberos tranſitoriæ ortus.* §. LII. *Nobiles in Monarchia diverſo reſpectu ſervi, liberi, domini.* §. LIII.

*Simili*

*Simili, ſed tamen alio modo hæc tria nomina participant plebeji.* §. LIV. *Servi domeſtici ſubditorum quomodo liberi?* §. LV. *Scala prædicamentalis dominorum & ſervorum in Monarchia.* §. LVI. *Diſtinctio nobilium & plebejorum pro diverſitate Rerumpubl.* §. LVII. *Favor libertorum ſecundum illam diverſitatem diverſus.* §. LVIII. *De ſervis & liberis hominibus Gallorum, locus Cæſaris cum ſuccincta periphraſi.* §. LIX. *Gallorum & Germanorum mores hac in re an diverſi fuerint?* §. LX. *Oſtenditur, non fuiſſe.* §. LXI. *Cluverii expoſitio de ſenſu Cæſaris rejicitur.* §. LXII. *Vera mens Cæſaris Ambacti. Soldurii* §. LXIII. *Doctrina Taciti: de vicis Germanorum & ædificiis.* §. LXIV. *Notatur Cluverius, aſſerens Germanos ſingulis annis habitationem mutaſſe.* §. LXV. *De ſervis Germanorum per aleam.* §. LXVI. *De reliquis ſervis.* §. LXVII. *Illuſtrantur dicta ulterius ex Seneca & alio loco Taciti.* §. LXVIII. *Poteſtas Germanorum in ſervos.* §. LXIX. *Liberti Germanorum.* §. LXX. *Notatur Alexander ab Alexandro.* §. LXXI. *Germanorum Nobiles, Reges, Principes, Comites, Plebs.* §. LXXII. *Ubi notatæ quædam difficultates in Tacito.* §. LXXII. *Abbreviata methodus, ea quæ dicenda reſtant exponendi.* §. LXXIV. *Status liberorum & ſervorum ſub initiis regni Francici,* §. LXXV. *ſub Primo Regum Franciæ Chriſtianiſmo,* §. LXXVI. *ſub Carolo M. & regno Carolidarum,* §. LXXVII. *(His temporibus ſemper ſervos veros apud Germanos manſiſſe.* § LXXVIII.*) a temporibus Henrici Aucupis ad tempora interregni,* §. LXXIX. *& inde ad tempora Maximiliani,* §. LXXX. *denique ad tempora noſtra.* §. LXXXI. *Cluverii & Hachenbergii ſcripta de antiquitatibus Germaniæ.* §. LXXXII. *Aldii. Liti.* §. LXXXIII. *Operæ determinatæ & indeterminatæ.* §. LXXXIV. Zinß-Güter, Erb-Zinß-Güter. §. LXXXV. *Jurisdictio patrimonialis nobilium.* §. LXXXVI. *Homines proprii cur hodie non ubique?* §. LXXXVII. *Scabinatus. Facultates Juridicæ.* §. LXXXVIII. *Differentiæ inter Urbes & vicos.* §. LXXXIX. *Opifices ſervilis conditionis.* §. XC. *Mercatura.* §. XCI. *Judæi ſerviles conditionis.* §. XCII. *Nobiles. Patricii* §. XCIII. *Mercatores ex ſervili conditione translati in liberam ſeu ingenuam. Doctorum conditio ingenua & nobilis.* §. XCIV. Schöppenbaar-freye Leute. §. XCV. *Barones*, freye Herrn, *Miniſteriales*, Edelknechte. §. XCVI. Semperfreyen, Mittelfreyen, freye Landſaſſen, Semperleute. §. XCVII. *Militia Germanorum.* §. XCVIII. *Feuda Germanica* §. XCIX. *Venatio Germanica.* §. C. *Uſus dictorum.* §. CI.

 COROL-

# COROLLARIA.

I. LEx vulgo dicta Regia, qua populus Auguſtum & ſequentes Principes omnibus legibus ſolutos dixit, nunquam lata eſt.

II. *Neque eam probat Dion. Caſſius* lib. 53. *cum contrarium ex ipſo probari poſſit, adeoque hoc vel per imperitiam linguæ latinæ, vel per adulationem ſcripſit.*

III. *Nec obſtat* l. 31. ff. de leg. *Neque* l. 1. ff. de Conſtit. Princip.

IV. *Neque fragmentum legis Regiæ, quod Romæ aſſervatur.*

V. *Itaque Lex a veteribus Juris-Conſultis Regia dicta, nihil aliud eſt, quam collectio eorum jurium, quæ Auguſtus paulatim & plurium temporum intervallo diverſis legibus ac SCtis accepit, quæque plerique omnes poſt Auguſtum inſecuti Principes in principatus ingreſſus fere uno acceperunt ſive SCto ſive lege.*

VI. *Princeps in omnibus delictis habet jus aggratiandi.*

VII. *Hactenus dubium eſt, neque ab ullo clare demonſtratum fuit, Polygamiam virilem eſſe prohibitam jure divino.*

VIII. *Maritus poteſt renunciare imperio, quod habet in uxorem.*

IX. *Fabula eſt, patrem ter potuiſſe vendere filium in ſervitutem.*

X. *Quæſtio illa: an in bello injuſto capti fiant ſervi? nullum uſum habet.*

XI. *Et ſi haberet tamen de eo nullum foret dubium.*

XII. *Imo captus a Latrone & Pyrata ejus ſervus fit.*

XIII. *Hominem proprium ex moribus Germanorum recte definit Dn. Schilter. in Jur. publ.* l. 1. d. 7. §. 2. *Qui corpore boniſve ſine ſuperioris conſenſu alio emigrare non poteſt de jure.*

XIV. *Nobilis in uno regno, non talis eſt in alio, ſed hoc ab arbitrio Principis dependet.*

XV. *Si nobiles ex diverſis territoriis in territorio tertii conveniant, nullus præ altero præcedentiam ſibi vindicare poteſt de jure, ſed hoc omne dependet a Domino territorii.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google